

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
VE RI TS
CHRISTO ET ECCLESIAE





DE RATIONE QUAE EST

INTER

ASINUM PSEUDO-LUCIANEUM APULEIQUE METAMORPHOSEON LIBROS.

◯

DE RATIONE QUAE EST
INTER
ASINUM PSEUDO-LUCIANEUM
APULEIQUE METAMORPHOSEON LIBROS.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

C. K. HOFFMANN,

PHIL. NAT. DOCT. ET IN FACULTATE DISCIPL. MATH. ET PHYS. PROF.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET


CORNELIUS HENRICUS DEE

LUGDUNO-BATAVUS

DIE XVI MENSIS MAII A. MDCCCXCI HORA III.



LUGDUNI-BATAVORUM.
APUD E. J. BRILL.
MDCCCXCI.



TYPIS E. J. BRILL.

MATRI CARISSIMAE
PATRISQUE PIAE MEMORIAE.

Cum iam in eo sum ut specimine meo qualicumque absoluto gratias agam praeceptoribus quorum in Academia Lugduno-Batava lectionibus frui mihi contigit, triste fatum quod ne te, Clarissime Cornelissen, promotorem appellarem obstitit, toto pectore deploro.

Quod tu per totum meum cursum academicum semper mihi fautor benevolens fuisti, non potest vita mihi tam longa esse qua eius rei intereat recordatio.

Semper, Clarissime van Leeuwen, humanitatis tuae grato animo memor ero. Qua tu benevolentia et in hocce opusculo scribendo me adiuveris numquam non recordabor.

De Lucio iuvene in asinum transfigurato variisque eius casibus et Apuleius scripsit et *Lucianus; de ratione autem quae inter eorum narrationes intercederet deque necessitudinis vinculis, quibus utraque tertiae fabulae de eodem argumento a Lucio Patrensi in lucem editae coniuncta esset, diu inter viros doctos dissensio fuit. Quae controversia licet a multis sit agitata, tamen vix duo extiterunt qui eam prorsus eodem modo solvendam esse contenderent. Apparet ergo intricatam eam esse plenamque difficultatis vereorque ut ego eam expediendo multis, ne dicam omnibus satisfaciam. Multis tamen multorum sententiis inter se comparatis facile apparebit recentiores, etiamsi ad veritatem nondum pervenerint, tamen certando hoc assecutos esse ut materiem undique congestam melius explorarent ideoque multis erroribus, qui olim vulgo committerentur, abstinerent.

Antiquiores enim, velut Salmasius Courier alii, qui primi omnium quaestionem moverunt, non tam diligenter eam tractarunt ut coniecturas suas satis speciosas certis argumentis firmare possent. Recentiores vero illorum labore usi alia refutando, alia approbando, quaedam de suo addendo suam quisque protulerunt sententiam, quae mox et ipsa

impugnata alios doceret quae via sequenda quaeque relinquenda esset. Quam ob causam Erwinio Rohde [1]) ante omnes gratia debetur, qui ad quaestionem solvendam non solum maiorem quam ceteri omnes attulerit doctrinae copiam, sed etiam sententiam aperuerit novam et inauditam tantaque sagacitate et subtilitate commendabilem, ut ad eam diligentius considerandam atque perpendendam nemo non excitaretur [2]). Quam etsi non multis persuadere potuit, tamen id effecit ut quaestio denuo in medio posita a multisque pertractata copiam auxerit coniecturarum quam maxime inter se discrepantium; quarum aliae aut probabiles sunt aut saltem veri speciem quandam prae se ferunt, alias vero infirmissimas esse iam primo aspectu apparet: harum autem, ut fit, numerus multo maior est.

Quum igitur satis constet ne nunc quidem nodum esse solutum, propositum mihi est primum eas virorum doctorum coniecturas commemorare quae maxime videntur momenti quasque cognovisse opus erit omnibus qui rem diiudicare velint; dein eas quas falsas esse mihi persuasi pro viribus refutare. Sic quid mihi ipsi probabile videatur facile intelligetur.

Libellum meum inspicientibus apparebit illi parti magnum spatium esse concessum qua agitur de propria operis Apuleiani forma. Quum enim persuasum haberem de hac re falsissimas circumferri sententias, maximi momenti mihi visum est accuratius describere quibus contineantur limiti-

---

1) Ueber Lukians Schrift Λούκιος ἢ Ὄνος. Eine literarhistorische Untersuchung. Leipzig 1869.

2) Inter recentiores disputationes praecipue et Goldbacheri (Zeitschr. f. Oesterr. Gymn. 23 Jahrg. 1872) et C. Burgeri (Diss. Acad. »de Lucio Patrensi"; Berolini 1887) dignae sunt quae fusius tractentur; quod in loco faciam.

bus et ipsius Apulei oratio et verba Lucii illius qui in narratione primas partes agit. Manifestum autem erit praecipue prologum Metamorphoseon difficultates praebere ei qui utri singula verba sint assignanda, Lucio an Apuleio, statuere velit; has ut quantum fieri posset tollerem in primis operam dedi.

DE RATIONE QUAE INTER „ASINUM" LUCIIQUE PATRENSIS NARRATIONEM INTERCEDIT.

Ex antiquitate ad nos pervenerunt duae narrationes de casibus Lucii juvenis in asinum conversi, quarum altera Apuleium auctorem habet, altera Luciano tribuitur; praeterea Photius Patriarcha (cod. 129 ed. Bekker) memoriae tradidit tertiam narrationem exstitisse qua *Λουκίου πατρέως μεταμορφώσεις* continerentur.

Quaerendum est igitur primum quae sit ratio inter narrationem a Photio memoratam et *Lucianeam, deinde quonam cognationis vinculo nexae sint *Luciani et Apulei fabulae.

Recte plerique qui priorem controversiam dirimere conati sunt viderunt proficiscendum esse a testimonio Photii, qui solus quamquam pauca tamen aliqua indicia afferat. Ante omnia verbis eius accurate inspectis, statuamus quatenus fides ei sit habenda; mox patebit hac quoque in re iudicia virorum doctorum quam maxime inter se discrepare. Verba autem Photii (Biblioth. 129) sunt: „*ἀνεγνώσθη Λουκίου Πατρέως μεταμορφώσεων λόγοι διάφοροι. ἔστι δὲ τὴν φράσιν σαφής τε καὶ καθαρὸς καὶ φίλος γλυκύτητος·*

φεύγων δὲ τὴν ἐν λόγοις καινοτομίαν εἰς ὑπερβολὴν διώκει τὴν ἐν τοῖς διηγήμασι τερατείαν, καὶ ὡς ἄν τις εἴποι, ἄλλος ἐστὶ Λουκιανός. οἱ δέ γε πρῶτοι αὐτοῦ δύο λόγοι μόνον οὐ μετεγράφησαν Λουκίῳ ἐκ τοῦ Λουκιανοῦ λόγου, ὃς ἐπιγέγραπται Λοῦκις ἢ Ὄνος, ἢ ἐκ τῶν Λουκίου λόγων Λουκιανῷ. ἔοικε δὲ μᾶλλον ὁ Λουκιανὸς μεταγράφοντι, ὅσον εἰκάζειν. τίς γὰρ χρόνῳ πρεσβύτερος οὔπω ἔχομεν γνῶναι. καὶ γὰρ ὡς ἀπὸ πλάτους τῶν Λουκίου λόγων ὁ Λουκιανὸς ἀπολεπτύνας καὶ περιελὼν ὅσα μὴ ἐδόκει αὐτῷ πρὸς τὸν οἰκεῖον χρήσιμα σκοπόν, αὐταῖς τε λέξεσι καὶ συντάξεσι εἰς ἕνα τὰ λοιπὰ συναρμόσας λογον, Λοῦκις ἢ Ὄνος ἐπέγραψε τὸ ἐκεῖθεν υποσυληθέν. γέμει δὲ ὁ ἑκατέρου λόγος πλασμάτων μὲν μυθικῶν, ἀρρητοποιίας δὲ αἰσχρᾶς. πλὴν ὁ μὲν Λουκιανὸς σκώπτων καὶ διασύρων τὴν Ἑλληνικὴν δεισιδαιμονίαν, ὥςπερ κἀν τοῖς ἄλλοις, κὰι τοῦτον συνέταττεν, ὁ δὲ Λούκιος σπουδάζων τε καὶ πιστὰς νομίζων τὰς ἐξ ἀνθρώπων εἰς ἀλλήλους μεταμορφώσεις τάς τε ἐξ ἀλόγων εἰς ἀνθρώπους ἀνάπαλιν καὶ τὸν ἄλλον τῶν παλαιῶν μύθων ὕθλον καὶ φλήναφον γραφῇ παρεδίδου ταῦτα καὶ συνύφαινεν."

Photius igitur Lucium quendam Patrensem auctorem dicit libri, cui titulus erat *Μεταμορφώσεων λόγοι*. Cum tamen in Asino *Luciani suos casus narret iuvenis quidam Lucius ex urbe Patris oriundus [1]), facile in suspicionem incidere possit quispiam: etiam in illo opere de quo Photius loquitur primas partes egisse Lucium quendam Patrensem, Patriarcham autem per errorem huius nomen pro nomine ipsius auctoris posuisse.

---

1) Lucius coram iudice dicit: „*πατρὶς δεῖν ἡμῖν Πάτραι τῆς Ἀχαίας.*"

Wieland cum scriberet [1]) „..... *es ist Zeit, diesem kleinen Streit περὶ ὄνου σκιᾶς ein Ende zu machen,*" levem contentionem componere sibi videbatur neque suspicabatur se revera gravissimum multorumque annorum certamen civisse. Contendit sibi persuasum esse Lucium quendam scriptorem numquam vixisse; quod autem Lucii nomen in Photii Lexico locum suum obtinuerit, eam difficultatem solvere conatus est statuendo „hominem quendam otiosum persona a Luciano efficta potitum esse, qui speraret fabulas suas eroticas acceptiores fore si earum titulum Lucii nomine iam per Lucianum satis noto ornaret." *Lucianeam igitur fabulam (nam quin genuinum hoc opus esset non dubitabat) archetypum esse contendit hoc argumento nixus, probabilius esse pauperem hominem divitem, ignotum inclutum, Lucium illum Patrensem Lucianum spoliasse. Addit haec: „er konnte also wol der Versuchung, solche Scenen zu malen, unterliegen; aber gewisz würde er sich geschämt haben, sich für fremden Witz Complimente machen zu lassen und Gemälde dieser Art verstohlnerweise von einem Andern abzucopieren."

Wielandio de auctoritate Photii dubitanti proximus accedit P. L. Courier [2]), qui eo progressus est ut Photio omnem auctoritatem denegandam censeret. Movetur illis Patriarchae verbis quae ad diversam utriusque narrationis naturam pertinent (*ὁ μὲν Λουκιανὸς σκώπτων* .... *ὁ δὲ Λούκιος σπουδάζων* .... etc.), quae Couriero iudice demonstrant inaccurate et inconsulto a Photio esse iudicatum. „Quomodo enim" ait „fieri potuit ut duarum fabularum, in

---

1) Wieland, *Ueber den wahren Verfasser des »Lucius"*.
2) La Luciade ou L'âne. Bruxelles 1828.

quibus omnia sibi responderent, altera esset seria, altera iocosa?" Photii autem conclusio, Lucianum descripsisse Lucium Patrensem et in artiorem formam restrinxisse, Couriero non arrisit, qui cum Wielandio sentiat fabulam sub nomine Luciani notam antiquiorem esse. Diversis tamen argumentis hanc coniecturam firmare conantur, quum Wieland fabulam primum a Luciano compositam esse contendat (vid. pag. 14), Courier vero Patrensem auctorem existimet, qui postea senectute confectus „Musis infestis" opus suum elegans ineptis additamentis amplificaverit. Patriarchae autem opinionem Asinum *Lucianeum potius epitomen esse censentis longe a se reicit Courier, Luciano enim moris non fuisse quicquam resecare, quippe qui semper amplificaret et de suo aliquid adderet; neque umquam antiquos scriptores scripta aliena excerpere solitos fuisse nisi historica; hunc autem morem Byzantinorum demum imperatorum tempore invaluisse.

Haec fere sunt quibus Courier verba Photii impugnat, quem deinde disputatione satis lepida et faceta nimiae levitatis et negligentiae in iudicando arguit.

Etsi autem non errasse mihi videtur quum, Salmasii [1]) exemplum secutus, statueret ex Patrensis narratione opus Apulei fluxisse, tamen neque ipse Courier, neque Hildebrand [2]), qui postea eodem pervenit, multa argumenta protulit.

---

1) *Salm. Proleg. ad Solinum* (Parisiis ap. Hieron. Drouart): »videtur autem Apuleius non ea tantum quae Lucius de Asini Metamorphosi peculiariter perscripserat Latino sermone conversa in opus suum transtulisse, sed plures intexuisse fabulas ex aliis Lucii operibus petitas."

2) HILDEBRAND, de Apulei Scriptis II § 3: »sed ex Luciano repetere sua non poterat Apuleius, quum tota temporis ratio huic sententiae repugnet. Prius enim Apuleio, ut Reizius de vita Luciani dudum demonstravit, natus est Lucianus circiter annum 120 p. Chr., ut fere aequalis fuerit Apuleio. Ab iuvene vero intra annos 151—157 conscriptam esse

Neque Teuffel (Rhein. Mus. XIX p. 243 sqq.) Photio fidem tribuit; is quoque a Patriarcha discedens Lucianum fontem et originem ambarum reliquarum narrationum esse putat; reicit opinionem eum epitomatorem fuisse, et hac in re cum Couriero consentit quod pariter atque hic contendit Lucianum potius amplificasse narrationem quam coartasse, neque eius opus excerpti indicia prae se ferre. Non credit Lucianum excerpsisse Patrensem, quin adeo negat auctorem huius nominis exstitisse, qua in re Wielandio ut vidimus assentitur.

Hisce tribus iudiciis editis patet Photium haud saepe fidem apud posteros invenisse. Et iure viri illi docti videntur dubitavisse antequam omnino ei crederent; qui tamen perperam Lucium auctorem in dubium vocaverunt, Photii istum locum huius rei testimonium unicum esse rati. Miror autem a nullo sive illorum sive eorum qui postea in rem controversam inquisiverint rationem habitam esse alterius testimonii, uno Rohdeo excepto, qui locum citat saltem, aliud tamen consilium secutus. Attamen permagni momenti sunt verba quae volo, nam quin auctor Lucius revera vixerit, dubitare nos non sinunt. Nempe Photius disserens de Antonii Diogenis libro, cui titulus videtur fuisse: *τὰ ὑπὲρ Θούλην ἄπιστα* (cod. 166 ed. Bekker), haec habet:

„*ἔστι δ', ὡς ἔοικεν, οὗτος* (Ant. Diog.) *χρόνῳ πρεσβύτερος τῶν τὰ τοιαῦτα ἐσπουδακότων διαπλάσαι, οἷον Λουκιανοῦ, Λουκίου, Ἰαμβλίχου, Ἀχιλλέως Τατίου, Ἡλιοδώρου τε καὶ Δαμασκίου· καὶ γὰρ τοῦ περὶ*

Metamorphosin supra iam causis comprobatum est. — Hinc mihi probabile fit, Lucii Metamorphosin esse fontem, unde suam narrationem Madaurensis repetierit." Hildebrandum in temporis rationibus errasse infra videbimus.

ἀληϑῶν διηγημάτων Λουκιανοῦ καὶ τοὺ περὶ μεταμορφώσεων Λουκίου πηγὴ καὶ ῥίζα ἔοικεν εἶναι τοῦτο· οὐ μόνον δὲ ἀλλὰ καὶ τῶν περὶ Σινωνίδα καὶ Ῥοδάνην Λευκίππην τε καὶ Κλειτοφῶντα καὶ Χαρίκλειαν καὶ Θεαγένην, τῶν τε περὶ αὐτοὺς πλασμάτων καὶ τῆς πλάνης ἐρώτων τε καὶ ἁρπαγῆς καὶ κινδύνων ἡ Δερκυλλὶς καὶ Κήρυλλος καὶ Θρουσκανὸς καὶ Δεινίας ἐοίκασι παράδειγμα γεγονέναι."

Agitur h. l. de aetate quà vixit Antonius ille Diogenes, auctor ceteroquin satis obscurus et ad nostram controversiam dirimendam nullius momenti; atvero magni interest hoc testimonium inspicere non solum ad quaestionem illustrandam sed etiam ad cognoscendum quam rationem Photius in argumentando secutus sit. Quo facto ostendere licebit eum, etsi multa vera protulerit, tamen in concludendo saepius aperte errasse. Aptiora igitur argumenta hic locus praebere potuisset iis qui demonstratum iverunt Photio non temere credendum esse. Sed, ut at ipsa verba revertamur, d/ nominatim iterum citatur Lucius auctor, neque ullo praeterea testimonio egemus; quod si praesto fuisset iis qui eum exstitisse negaverunt, sine dubio scrupulos iis exemisset. Non solum enim nominatim commemoratur hic Lucius sed, quod gravius est, commemoratur iuxta Lucianum, qua re simul redarguuntur qui suspicati sunt Photium ambo nomina confudisse. Disertis enim verbis opus Antonii Diogenis hoc loco a Photio cum Verae Historiae Luciani [1]) tum

---

1) Apparet Photium Asinum inter genuina opera Lucianea habuisse; permulti tamen fuere qui Luciano illud opus abiudicarent, et me quidem iudice rectissime. Quae tamen res intricata et difficillima paucis verbis solvi nequit; de eo autem opere loqui pergam ut de opere pseudo-Lucianeo (*Lucianeo).

Metamorphoseon Lucii fons vocatur. Quod utriusque scriptoris nomen una cum operum titulis a Photio citatur, id nos docet huius non minus quam illius libros, vel saltem librum, ei innotuisse.

Non omittenda est hoc loco opinio quam C. Bürger in egregia dissertatione (vid. pag. 10) exposuit. Negat scriptorem exstitisse nomine Lucii Patrensis, librumque a Photio lectum compositum esse contendit ab auctore nobis ignoto, qui Lucium quendam urbe Patris oriundum „paradoxographum et mirarum metamorphosium fabularum studiosissimum" irridere voluerit et ita quidem ut fabulam scripserit qua Lucius ipse se in mutationem ridiculam incidisse narraret. Quamvis autem egregia Bürger de trium fabularum cognatione protulerit, tamen hac in re minime ei assentiri possum. Primum enim non possum mihi persuadere irridendi consilium adfuisse, quum in fabula illa multa tamquam „narrationis condimenta" adsint, quae huic consilio minime respondeant; parodia externa condimenta non requirit, neque auctor ille quum Lucium finxisset casus suos ridiculos narrantem, talia adiecisset quae vim irrisionis haud leviter imminuerent. Praeterea utroque Photii loco perlecto (cod. 129 et 166) credere nequeo Photii tantam fuisse negligentiam ut duos auctores citaret, unum tantum cognitum haberet.

Iam videamus de Patriarchae auctoritate; quam qui antea in dubium traxerunt profecti sunt a cod. 129, quia alterum testimonium (cod. 166) iis ignotum erat: at nobis hoc praesertim argumenta in disceptatione praebere poterit. Verba enim quae dicuntur de Antonio Diogene, qui *πηγὴ καὶ ῥίζα* fuerit Luciano ad Veram Historiam, Lucio ad Metamorphoseon librum componendum, Photium statim

quodammodo socordiae accusant; nam sine dubio et hoc loco non abs re fuerat diversam naturam utriusque operis indicare. Lucius enim, ut ipse Photius (cod. 129) contendit, scribebat *σπουδάζων καὶ πίστας νομίζων .... κτλ.*; fidem igitur habuit Antonio Diogeni; Lucianus vero Diogenis narrationem in ludum iocosque detorsit. Sed maior etiam fit suspicio si Photii temporis rationem perpendimus, cui si credendum esset, Ant. Diogenes vixisset „*οὐ λίαν πόῤῥω τῶν χρόνων τοῦ βασιλέως Ἀλεξάνδρου* (Magni)." Summo iure Rohde (Ueb. Luc.'s *Ὄνος* p. 20) miratus est hanc rem alios non offendisse: „seltsamer Weise haben Vossius und Koraes Vorr. zu Heliodor das ruhig nachgeschrieben; es bedarf kaum des Nachdenkens um diese Annahme als ganz unmöglich zu erkennen. Das sah denn auch schon Solanus zu Luc. Ver. Hist. 1 ein; er versagte wegen dieses einen Irrthums dem Photius den Glauben." His igitur rebus Photii fides labefactatur; at tamen nimis severe agere mihi videretur qui ob hunc unum errorem eam prorsus nullam fuisse contenderet.

Omnes quos adhuc enumeravi de nostra quaestione disputantes hac in re consenserunt verba codicis 129 Photii, ut nobis servata sunt, nihil certi docere de cognatione quae inter duas narrationes citatas obtinuerit, hanc vero difficultatem praebere quod neque fidere iis neque prorsus diffidere possimus. Ut tamen aliquod quo niterentur fundamentum haberent viri docti, ad coniecturas confugerunt, quae quales essent iam supra vidimus. In dissertationibus tamen non tetigerunt illa verba quibus Photius rem se illustraturum speravit revera tamen intricatiorem etiam reddidit; verba volo quae diversam naturam utriusque fabulae tangunt, (*πλὴν ὁ μὲν Λουκιανὸς σκώπτων .... ὁ δὲ Λού-*

κιος σπουδάζων κτλ.). Rohde in libello supra laudato et his Photii verbis et ceteris plenam fidem tribuit, qua in re neque praeiverat ei quisquam neque eum secutus est. Nihil igitur mirandum eum ad sententiam pervenisse prorsus discrepantem a ceteris qui omnem illis verbis auctoritatem denegaverunt. Haec fere est eius argumentatio: Photius, cum incertus esset de aetate Lucii et Luciani, quadam de causa, quam nobis non significavit, coniecit Lucianum descripsisse Lucium. Quum tamen Rohde cum Couriero credere recuset Lucianum quae scripserit ex libro alieno excerpsisse, nihil est quod statuere possit [1]) nisi hoc *Asinum* *Lucianeum parodiam fuisse et operis et personae Patrensis. Quae coniectura cum tota pendeat ex verbis Photii (iure an iniuria) tradentis Lucianum iocose narrasse quae seria dicta apud Patrensem invenisset, quumque credere nequeam Photium hac de re recte iudicavisse, ne Rohdei quidem sententiae accedere mihi necesse est; utriusque igitur dubitationis causas exponam.

Quod *Lucianus *σκώπτων καὶ διασύρων τὴν Ἑλληνικὴν δεισιδαιμονίαν ὥσπερ κἀν τοῖς ἄλλοις* scripsisse dicitur, huius saltem sententiae fidem considerare et perpendere possumus teste Luciano ipso; superest enim Vera Historia, quae demonstrat quomodo *σκώπτειν* solitus sit et *διασύρειν*. Quo in libro iocandi et irridendi facultas nusquam deficit scriptorem; in Asino vero, cum passim sit iocandi opportunitas, vix ullae sunt facetiae vere Lucianeae.

---

1) Vix opus est redarguere hypothesin *Lucianum Lucii fuisse exemplum; nimis absurdum profecto esset credere Patrensem descripsisse fabulam in qua ipse persona primaria esset, et insuper suo ipsius nomine titulum ornasse.

Neque in eo sunt omnia. Quale vero genus esset parodiae *"Ονος* ille *Lucianeus? Recordemur fabulam hanc attribui Luciano illi, emunctae naris homini, qui quomodo irridere potuerit testantur *'Αληθὴς 'Ιστορία* et *Φιλοψευδής*, quas narrationes lepidissimas et salsissimas componere cum Asino [1]) illo mutilato, rustico atque omnis pudoris experti quis sustineat? Quamquam enim negari non potest hic illic lumina quaedam ingenii inveniri, tamen rara sunt et saepius interrumpuntur locis frigidis molestisque, quibus aequo animo careamus. Miram profecto ironiam Lucianeam, quam nemo praeter unum Rohdeum detegere potuerit! Num singularis illa iocandi facultas tunc praesertim Lucianum [2]) nostrum destituisset quum ea vel maxime opus esset?

Quale porro illud genus parodiae est, narrationem aliquam iisdem verbis eademque compositione fideliter reddere, hoc uno discrimine ut qui fuisset ambitus ad dimidium reducatur? Si nobis affirmaretur nova quaedam adiecta esse, in his saltem irrisionem latere facile coniceremus; sed neque in Asino eiusmodi additamentum deprehenditur neque Photius ullam eius rei mentionem inicit. Longe aliter res se haberet si *Lucianus in fabulae com-

1) Videamus modo ad quantam audaciam confugere debeat qui parodiam tueri velit; Rohde in libello supra citato p. 11 haec dicit: »Er verkürzte also die Darstellung um die Hälfte. Sodann aber konnte er, indem er im Wesentlichen den Gang der Erzählung beibehielt, sehr wohl, wie ein geschickter Zeichner, mit kleinen scharfen Strichen die Physiognomie des Ganzen aus einer ernsthaft feierlichen in eine schelmisch lächelnde verwandeln." — Hoccine igitur cadere videtur in eum qui imaginem exaggerare velit, ut lineamenta contrahat? Immo extendet et amplificabit omnia quae in ea invenerit insignia! Non est cur faciat pariter cum patre illo qui *strabonem* suum *paetum* appellabat, sed potius *camelum* vocabit quem ceteri *gibberum* dicant.

2) Haec non negligenda sunt argumenta iudicantibus utrum "Ονος fabula Lucianea sit necne.

positione finxisset Patrensem in ipsos casus incidentem, quos ille alium quemdam hominem depinxisset perferentem; et profecto irrisioni locum praebuisset metamorphosis hominis cuiusdam in asinum transformati, si hoc evidens discrimen haberent duae fabulae quod, ubi apud *Lucianum Patrensis nomen legeretur, in archetypo nomen prorsus diversi hominis nescio cuius scriptum esset. Sed fuitne, quaeso, ipse Photius tam obtusa acie ut ne tantum quidem discrimen perspexerit? Non sane credibile est hoc latere potuisse hominem qui omnem operam adhiberet ut aliquod vel levissimum discrimen inveniret quo nodum quaestionis solvere posset, et qui deinde nihil proferre valeret nisi hoc: *αὐταῖς λέξεσι καὶ συντάξεσι* fabulam detruncatam cum altera convenire? Profecto compertum habemus Patriarcham negligenter iudicavisse, sed caecum eum fuisse inde non sequitur.

Quare quum Photius nullo verbo commemoret tam evidens narrationum discrimen, quod vel solum quaestionem solvere posset, optimo iure inde efficere licebit nullum eiusmodi discrimen exstitisse; quumque deinde magna sit argumentorum copia, quibus probetur eum de colore fabularum false iudicavisse, tota illa Rohdei de parodia coniectura eversis omnibus fundamentis collabi mihi videtur. Credibile non est iocandi genus, quod fugisset Photium, a Rohdio deprehendi potuisse; illi enim ambas fabulas inter se comparare licebat, huic brevissimum tantum alterius excerptum praesto erat. Itaque quamvis argumentatione sollerti et ingeniosa Rohde usus sit, maioris tamen momenti hac in re est Photii silentium.

Etsi iam satis de Luciani ironia dictum videtur, tamen pauca addere lubet. Quoddam adminiculum argumentationi

suae Rohde petivit ex verbis Photii: „ὡς ἀπὸ πλάτους τῶν Λουκίου λόγων ὁ Λουκιανὸς ἀπολεπτύνας καὶ περιελὼν ὅσα μὴ ἐδόκει αὐτῷ πρὸς τὸν οἰκεῖον χρήσιμα σκοπὸν .... etc.;" sed si umquam dubitassem, profecto illud „πρὸς τὸν οἰκεῖον σκοπὸν" omne mihi dubium sustulisset. Num Photius, hoc verbo semel edito, dubitavisset illum σκοπὸν accuratius definire, si vel levissima ei fuisset suspicio id egisse Lucianum ut ipsum Patrensem deridendum propinaret lectoribus?

Immo hoc verbum testatur non id fuisse consilium auctoris Asini. Quod si fuisset, et Photius id perspexisset, opinor, et hoc loco nos docuisset. Silentium igitur pro testimonio est Photium non tam grave propositum Asino *Lucianeo attribuisse; quid vero opinatus sit, satis apparet ex proximis eius verbis, ubi ἀπολεπτύνας Patrensis narrationem *Lucianus fabulam composuisse dicitur neque aliud quidquam nisi excerptum fecisse [1]).

Photius consilium, quod excerptorem secutum esse putabat, hisce verbis indicavit: „ὥσπερ ἐν τοῖς ἄλλοις δεισιδαιμονίαν διασύρων .... κτλ." Supra vidimus eum Asini scriptorem nimis magni fecisse, et nullum in hac fabula locum monstrari posse quo superstitio ludibrio habeatur; iure ergo contendere possumus nihil commisisse *Lucianum, quo iudicium quod verbis ὡ. ἐ. τ. ἀ. continetur mereretur; nihil enim est in Asino pseudo-Lucianeo quod indicio esse possit scriptorem id egisse ut aequalium suorum superstitiones derideret.

Ut paucis quae adhuc disputata sunt complectamur:

---

1) Singula excerpti vestigia optime collata sunt in libello Caroli Burger supra laudato.

unicus fons, unde aliqua possit hauriri notitia de *Luciani cum Lucio cognatione, est testimonium Photii; patet autem eius verbis non plane credendum esse, sed partim iis fidem tribuendam partim diffidendum esse. Quod nisi nos quoque facimus, ad audaces conclusiones deducimur, quae, ut ex nudis verbis possint elici, at probabiles reddi nequeunt. Imprimis diffidendum est iis quae dicuntur de discrimine [1]) quod inter utramque fabellam interest: haec enim ipso Luciano testante tamquam falsum iudicium reicere possumus. Una tantum res est qua inter se fabulae differunt, ambitum dico; quae enim Patrensis narravit, eadem in Asino leguntur, sed in artum contracta. Asinus ille, qui sub nomine Luciani nobis traditus est, nihil est nisi excerptum operis Patrensis; id quod optime apparet ex tertia Metamorphoseon fabula ab Apuleio scripta. Quae qualis sit quamque cognationem cum ceterarum utraque habeat, iam nunc consideremus.

1) Cf. pag. 60.

DE COGNATIONE QUAE EST INTER APULEI METAMORPHOSEON LIBROS ET *LUCIANI LUCIIQUE NARRATIONES.

Ante omnia statuendum est utro exemplo usus sit Apuleius, Lucio an *Luciano; nam de hac quoque re, quae quaestioni nostrae pro fundamento esse debet, opiniones prolatae sunt haud leviter discrepantes. A plerisque statuitur Apuleio Lucium fuisse exemplum; sic Salmasius [1]) et post eum Courier [2]) Patrensem Apulei fontem esse pu-

---

1) *Salm. Proleg. ad Solinum:* »Ex Lucio autem potius quam ex Luciano Apuleius suum expressit Asinum, ut vulgo dicitur, Aureum. Titulus librorum eius idem qui et Lucii. Nam in antiquis exemplaribus, non alia inscriptio visitur praeter hanc: Incipit Metamorphoseos Liber Primus, atque ita in ceteris. Lucius quoque Patrensis ita suos inscripserat ut Photius prodit „*Μεταμορφώσεων λόγοι.*"

2) *Courier* (préf. de l'Ane de Lucius de Patras): „Puis ce livre aujourd'hui perdu des Metamorphoses, nous l'avons en Latin traduit par Apulée. Je dis traduit au sens des anciens; car aujourd'hui ou nommerait cela imitation ou paraphrase. Dans cet Ane Latin qui représente pour nous l'ouvrage de Lucius, se retrouve en effet le prétendu abrégé, l'Ane Grec, tellement qu'ayant lu celui-ci on le reconnait dans l'autre, mais démesurément étendu par de froides amplifications et des épisodes sans fin. Les plus beaux traits de l'auteur Grec sont là mêlés parmi un tas d'extravagantes fictions .... de fables à faire peur aux petits enfants. De pareilles sottises ont à bon droit choqué Photius dans le livre des Métam. d'où Apulée les a prises, et sont cause qu'il taxe l'auteur de ridicule crédulité."

tarunt. At Teuffel (Mus. Rh. XIX pag. 243 sqq.), ut iam vidimus, ad contraria pervenit; *Luciani enim fabulam archetypum fuisse putabat, primum quia non habeat cur neget, deinde quia *Ὄνος* nulla prae se ferat excerpti indicia; Apuleius autem verbis „*fabulam Graecanicam incipimus*" (Met. I, 1) narrationem *Lucianeam respexisse ei videtur, sed quidni ad Patrensis opus haec verba pertineant? Profecto mira res est Teuffelium tam levi argumento usum esse quo illam opinionem fundaret; quamvis multa autem verissime statuerit de Apulei dictione, hac in re subactum eius iudicium desideramus, et Rohde, qui in ipsa conclusione eius partes sequitur, optimo jure contendit argumenta prolata minime sufficere ad rem profligandam, quapropter ipse nova protulit, de quibus paulo inferius videndum erit.

Inter eos, qui diligentius in hanc rem inquisiverunt, primus Knaut (*de Luciano libelli qui inscribitur Lucius auctore*) iter ad verum inveniendum monstravit. Fabulas enim inter se comparando intellexit ea additamenta, quibus Apuleius opus suum auxit, in tria genera dividi posse; quorum primum efficiunt fabulae satis longae, a Lucii casibus prorsus alienae, quas actor inseruisse videtur, ut »rebus iucundis" lectores delectaret. (Quarum fabularum in numero habenda est illa de Cupidinis et Psychae amoribus, de fabri cuiusdam coniuge lib. IX, de Tlepolemique morte lib. VII, aliae). Ad alterum genus eos locos rettulit „qui etsi paullo artius fabulae argumento coniuncti sunt, tamen propter nimiam verbositatem ab Apuleio ut viro in rhetorum scholis et in causis agendis eximie versato, interpositi videntur," (velut fabula de tribus utribus a Lucio trucidatis, et iudicium de scelestae novercae flagitiis habitum (lib. X). Tertium denique genus Knautio „statuendum videtur

si Apuleius magis ut ingenio suo indulgeat quam ut narrationem producat, ad singulas res quasi depingendas digreditur, summa dicendi copia et affectatione usus." (Sic lib. II summis laudibus verbisque grandibus capillum extollit, et eodem libro magna eloquentiae ubertate Dianae marmoreae pulchritudinem describit). Juxta haec additamenta Knaut recte agnovit locos innumerabiles, qui tam concise scripti sunt ut ad diversum auctorem referendi videantur. Comparatione autem cum Luciani libello instituta Knaut contendit Apuleium nulla alia de causa ad hoc dicendi genus descendisse „nisi quod Luciani" (nam genuinum Luciani opus ducit) „verba in Latinum verteret sermonem" (nonnulla exempla collegit). Accedit quod „nonnumquam non minus breviter et strictim Apuleius res refert quas a Luciano non esse petitas constat, cum apud hunc non inveniantur." „At unde illa petiit? A Lucio Patrensi, quem, quamvis opus eius ad hanc aetatem non pervenerit, non semel ab Appuleio compilatum esse demonstrabimus." Hisce locis inspectis comparatisque cum verbis et rebus quae in *Luciani libello inveniuntur Knaut collegit „eum libellum, qui inter Lucianeos legi soleat, fontem esse librorum a Lucio Patrensi et post eum ab Appuleio compositorum."

Knauti rerum expositio pro fundamento fuit argumentationi quam Goldbacher (vid. p. 10) deinde multo copiosius de quaestione nostra edidit, qui et ipse locis communibus sepositis diversa genera additamentorum agnovisse sibi videtur, unum eorum quae facili negotio e contextu amoveantur neque quidquam ad Lucii casus pertineant (citantur fabula Psychae et Cupidinis, illa de fide Charitae, aliae), alterum earum fabularum quae necessitudine aliqua

seu evidenti sive paulo obscuriore cum Lucii casibus coniunctae sint (de Socrate, de Thelyphrone, de latronibus). Ad tertium genus ea additamenta refert qnorum origo vix dignoscitur. Ex his Goldbacher efficit Asinum *Lucianeum non fuisse fontem Metamorphoseon Apulei; addit autem multo minus cuiquam in mentem venire posse ut credat Apulei inflatam illam et tumidam narrationem libelli simplicis et sobrii *Lucianei originem fuisse. Itaque nullo modo congruentiam fabularum explicari posse censet nisi coniciamus ambas ex communi fonte profluxisse.

In dissertatione docta et elaborata quaestionem tractavit Bürger. Is quoque inter diversas Apulei fabulas nonnullas deprehendit cum primaria levissimis tantum vinculis coniunctas, alias vero „in ipsius fabulae contextum aliqua ratione insertas, sed ubique fere tam negligenter et infeliciter, ut aut cum primariis adversis frontibus pugnarent (cf. fabulas de Socrate, de Haemo latrone, de agasonis morte, de rustici calamitate) aut propter illas interpositas proxima valde perturbarentur (cf. VI 25, IX 9)." Adiectas esse praeterea multas descriptiones tumidissimas et quasdam meditationes ineptissimas (II 8, 9, X 33). Denique in singulis saepissime Apuleianam narrationem a *Lucianea distare, et fere ita, ut Graeca multo praestantior esset et non *Lucianum sed Apuleium exemplar mutasse primo aspectu intellegas. Quare Bürger necessario colligendum esse censuit neque *Lucianum Apulei neque Apuleium *Luciani ducem fuisse sed utrumque ex communi fonte hausisse.

Bürgeri labor imprimis ideo est laudandus quod multis locis congestis et inter se collatis quae vel excerpta vel translata essent indicavit. Quo factum est ut ei contingeret *Luciani textum substruendo eiusque lacunas ex Apulei

opere explendo imaginem communis exemplaris satis accuratam lectorum oculis subicere. (Dissert. pag. 56).

Duobus postremis quae exposui iudiciis non possum non totus assentiri; miror autem sententiam quam Rohde pronuntiavit. Quum enim Apulei *Lucianique fabulae hoc tantum discrimen offerant quod haec artior sit et contractior quam illa, utraque autem eadem iisdem verbis enarrata contineat, et postquam recisa sunt nonnulla, iisdem verbis eademque structura cetera iterentur, nonne sponte Photii verborum in mentem venit, ex quibus efficere possumus inter Lucium et *Lucianum idem cognationis vinculum exstitisse quod inter Apuleium et *Lucianum? Sententia ergo eorum qui statuunt Apulei et Lucii narrationem eandem esse, probabilis et fere certa videtur; is saltem qui contraria contendit firmis argumentis opinionem suam tueri debet. Id quod Rhodium fecisse non contendam equidem; omnia enim quae apud Apuleium leguntur, praeter ea quae tamquam nucleum narrationis efficiunt, unico Apuleio attribuit atque ullam inter hunc et Patrensem intercessisse necessitudinem praefracte negat; haec autem profert argumenta (pag. 14 libelli sui):

»Was man auch sonst über Lucius und den Ton seiner »Erzählung feststellen möge, so viel ist sicher dass seine »Eselgeschichte den doppelten Umfang der Lucianischen »hatte. Wenn sich nun ergiebt, dass die aus dem Griechi»schen übersetzte Haupterzählung des Apulejus genau nur »den Umfang des Lucianischen Ὄνος habe, so ist damit »schon so gut wie bewiesen, dass er Lucian, nicht Lucius »vor Augen hatt." Rohde igitur sine ulla haesitatione conclusionem profert quam, Photii verbis inspectis, haud quivis tam prompte pronuntiare auderet. Neque sequentibus argu-

mentis nos prorsus devictos profitemur. Pag. 17: „Alle »Erweiterungen des Apulejus zerfallen in zwei Classen.... »Von dieser zweiten Classe nun characterisirt der gröszte »Theil sich durch seinem absonderlichen, entweder pathe- »tisch-sentimentalen oder märchenhaft-mystischen Ton als »nicht der von Apulejus benutzten Grunderzählung ange- »hörig, die, möge sie nun dem Lucian oder dem Luciu »nachgeahmt sein, jedenfalls unbestreitbar einen ironi- »schen und von der Masse der griechischen Romane durch »Realismus der Darstellung stark abweichenden Character »und Grundton zeigt."

Haec conclusio ipsi Rohdeo tam audax visa est ut mox eam leviter immutandam esse censeret: „nun gebe ich zu, »dass bei Apulejus, bei dem ja mit der Absicht der persön- »lichen Satire der Stachel der sonst anscheinend nur leisen »Parodie wegfällt, die Ironie des Grundtons nicht völlig »so klar hervortritt wie bei Lucian, jedenfalls indess fasst »er die ganze Leidensgeschichte des Lucius als eine tragi- »komische, und der Ton ist zum mindesten nichts weniger »als abergläubig."

Patet igitur Rohdeum utique Metamorphosibus ironiae colorem attribuisse; sed rogo, numquis scriptor, qui non ipse irridendi consilium habeat, parodiam ad verbum descripturus sit? Neque quemquam neque Apuleium hoc fecisse puto. Quum tamen ab ironia desistere nolit, Rohde, ut nobis persuadeat, exemplum huius ironiae profert quo infelicius vix ullum eligere poterat; pag. 18: „Vor Allem »aber spricht der Abschnitt von dem schändlichen Treiben »der heuchlerischen Metragyrten, der in dem bittern Sar- »kasmus der Darstellung durchaus mit Lucian zusammen- »trifft, entscheidend gegen die Benutzung des Lucius bei

»Apulejus. Wenn Lucius überhaupt seinen Esel im Dienste »der grossen Göttin wirken liess, so gipfelte ohne Frage »gerade in diesem Abschitt seine gläubige Verehrung alles »Mysteriösen. Diese Partie also vornehmlich und ferner »der lustige Ton des Ganzen beweisen durchaus dass »*Lucian* für Apulejus die Quelle war. . . . ."

Profecto si haec verba tamquam summum irrisionis exemplum profert, eum nusquam infirmiora argumenta ad opinionem suam defendendam attulisse confitemur. Revera sacerdotes Deae Syriae vividis coloribus neque iniuria ut homines infamissimi depinguntur et apud Apuleium et, multo concinnius, apud *Lucianum; sed quo iure negemus Patrensem quoque similibus verbis eos descripsisse? Neque in hac narratione video quis vel quid irrideatur; non sane infelix ille Lucius, qui honestas partes iusti delatoris agit, neque profecto δεισιδαιμονία, nam impudentia indignorum sacerdotum et sacrilegium ab iis commissum lectoris plausu in carcere expiatur. Sine dubio magnis argutiis opus est ut in his ulla irrisionis vestigia deprehendi possint, et nisi in verbis quaeras sententiam quam nemo in iis inventurus sit, nil vetat deprompta illa existimare ex ipsius Patrensis fabula; quare non dubito quin pariter atque reliqua *Luciani narratio huic originem debeant.

Denique hoc tantum opponere velim Rohdei argumentationi. Si statuimus Lucianum parodiam fecisse, Apuleium autem eam descripsisse: consentaneum est Luciani irridendi consilium tam obscurum fuisse ut Apuleium latuerit; at si cognoverit, veri simile est ei non tantum hominis irrisi nomen notum fuisse, sed etiam opus quod irrisionem ei viro contraxisset. In illo autem opere Apuleius praeter aliquot additamenta narrationem „Lucianeam" invenire pote-

rat: nonne igitur absurdum est putare eum opus integrum neglexisse, detruncatum secutum esse novisque additamentis extendisse?

Quae quum ita sint quumque mihi persuasum sit erravisse qui *μετ.* λόγους communem fontem fuisse negarent, pergamus ad ipsam narrationem Apulei inspiciendam, in qua sola argumentum sententiae nostrae invenire possumus.

In hoc opere autem, imprimis initio, occurrunt loci nonnulli quos Apuleius, ut opinor false, addidisse perhibetur ut de sua ipsius vita quaedam narraret legentibus. Quum in sequentibus hanc opinionem redarguere mihi proposuerim, simul licebit quam accuratissime limites translati operis Patrensis designare quaeque ab eo aliena in Apulei opere occurrunt notare.

Ipsam historiam Apuleianam, quae cap. 2 incipit et in qua Lucius quidam iuvenis varios suos casus narrat, praecedit prologus, quo fabula *Lucianea caret et quo narrator lectorem alloquens nonnulla de narrationis argumento eiusque persona primaria paucis exponit. Captata lectoris benevolentia, hominum transfigurationes et fortunas narraturum se profitetur; deinde ita pergit: „*quis ille paucis accipe*", et addit nonnulla quibus, semper prima persona loquens, „*illius*" originem et casus enarrat.

Verba „*quis ille*" .... etc. prologum in duas partes dividunt, quarum in altera Apuleius de se ut fabulae narratore, in altera de primarum actore loquitur. Quia in altera quoque parte aliquis loquens introducitur, hinc facile effici posse videtur Apuleium in illa quoque de se loqui et sub persona actoris primarum indicia quaedam de sua ipsius origine et vita exhibere. Sed magna mox oritur difficultas, nam ex his verbis intelligi potest eum Graecum fuisse

(„Hymettos Attica" .... etc., vid. pag. 36); atqui Madaurae eum natum esse aliunde compertum habemus. Accedit quod postea (lib. XI, 27) idem „ille" Madaurensem se vocat. Quum igitur indicia illa de Graeca origine ad Lucium, prior pars contra capitis I et lib. XI, 27 ad Apuleium pertinere videantur, haec exstat difficultas quod varia illa dicta non ad eandem personam referri possunt. Nil mirum igitur si doctorum virorum prodierunt explicandi rationes quam maxime inter se discrepantes, quorum plerique Lucium subiectum totius prologi esse contendunt, neque ullum indicium in tota fabula ad Apuleium pertinere asseverant. Fuerunt tamen qui confirmarent omnia indicia ad ipsum Apuleium esse referenda [1]), ut qui in narratione sua materiem ad biographiam praebuerit. Ex his prae ceteris nominandus est Rohde, qui in commentatione, inscripta *Zu Apuleius* (Mus. Rh. 40 p. 66 sqq.) res protulit etsi parum probabiles paucisque acceptas tamen dignissimas quae etiam atque etiam considerentur. Argumentatione sollerti sed interdum nimis quaesita nobis persuadere conatur personam, quae in Metamorphoseon libris loquens introducatur, ipsum Apuleium esse, qui et in prologo in-

1) Teuffel (Rh. Mus. bd. 19 pag. 248) quodammodo ambas opiniones coniunxit; agens de iudiciis in lib. XI dicit: »Man darf hieraus keinen Rückschlusz ziehen auf das Vorhergehende und auch dieses als Quelle für die Kenntnisz von Appulejus' Leben und Person benutzen; nicht zwar weil es ein schlechter Geschmack wäre von sich selber die Verwandlung in einen Esel und so manche sehr wenig ehrenvolle Erlebnisse in dieser Gestalt zu erzählen — denn das wäre schlieszlich individuell — sondern weil die Aussagen über die Heimath des Redenden auf beiden Seiten (B. I—X und anderseits B. XI) schlechterdings unvereinbar sind. Wir können daher in dem kunstwidrigen Eindrängen der Person des Schriftstellers in Buch XI nur einen Fingerzeig erblicken, dass dieser Theil — und nur dieser — Selbstbekenntnisse enthalte."

dicia ad vitam suam pertinentia praebuerit. Equidem quum prorsus contraria sentiam, satius mihi videtur totum Metamorphoseon exordium exhibere, ad singula verba diversas conclusiones proferre, adicere quae probanda quaeque reicienda mihi videantur.

Prologi verba haec sunt: „*At ego tibi sermone isto Milesio varias fabulas conseram auresque tuas benivolas lepido susurro permulceam, modo si papyrum Aegyptia argutia Nilotici calami inscriptam non spreveris inspicere.*" Ad ipsam quaestionem solvendam haec verba non ita magni momenti sunt, neque est quod ea ab hoc vel illo auctore abiudicemus. Nihil sane obstat quominus censeamus ipsius Apulei haec esse verba, quae tamquam exordium narrationi praemiserit; sed eodem iure in iis Patrensis verba latere contenderit quispiam, quae Apuleius integra ex huius praefatione in suam transtulerit. Hactenus igitur praefatio Metamorphosium nullum indubitatum indicium praebet inquirentibus cui sit adiudicanda. Aliquanto plus fortasse prosunt quae sequuntur: „*figuras fortunasque hominum in alias imagines conversas et in se rursum mutuo nexu refectas ut mireris exordior.*" Nuda illa verba, quae quasi fabulae argumenti locum obtinent, primo aspectu nullum originis indicium continere videntur; nescio tamen an non omni momento careant et aliquam certe lucem afferant. Aut fallor enim aut similia sunt verbis Photii: „*τὰς ἐξ ἀνθρώπων εἰς ἀλλήλους μεταμορφώσεις τάς τε ἐξ ἀλόγων εἰς ἀνθρώπους ἀνάπαλιν.*" Nimis temere tamen ex his coniceretur Patrensem Apulei fontem fuisse, si nihil praeterea praesto esset quo illud iudicium confirmari posset; atvero utriusque verbis comparatis statuere licet Photium in fine testimonii sui verbis citatis rettulisse verba ab ipso

Patrensi usurpata, eodem modo quo in initio titulum respiciens scripserit: *ἀνεγνώσθη· Λουκίου Πατρέως μεταμορφώσεων λόγοι.* (Consulto dico eum respexisse titulum neque transtulisse, quia vix dubito quin ille titulus indicaverit numerum *τῶν λόγων*, Photius autem in locum eius numeri vocabulum *διάφοροι* substituerit.) Itaque suspicor in testimonio Photii nobis servata esse verba ipsius Patrensis quamvis pauca tamen genuina vel genuinis proxima.

Nondum satis firmatam esse coniecturam non nego; attamen id certe nunc apparet fieri potuisse ut Apuleius Patrensem verteret; mox autem praeter consensum contextus alia argumenta proferam.

Verbis allatis postquam prologi finem fecit, narrator procedit ad rerum actorem introducendum: „quis *ille* paucis accipe." Certo his verbis inest nodus intricatissimus, quo soluto demum via ad explorandum patebit.

Ut iam monui, hoc loco necesse est prologum in duas partes dividamus, quae numquam confundantur vel inter se iungantur; sed nullam eiusmodi divisionem adhuc instituerunt viri docti. Haec enim est difficultas: ante limitem quem fecimus, Apuleius de semet ipso prima persona loquitur; quum deinde et in sequentibus aliquis prima persona narrare pergat, ultro nascitur opinio (quae fuit multorum virorum doctorum) ipsum igitur Apuleium sub Lucii persona latitare. Sed maxima statim oritur confusio, quia indicia quae hoc loco de origine proferuntur aperte pugnant cum omnibus quae de Apuleio aliunde novimus. Nihilominus haec opinio suos defensores adepta est. Unica autem via qua profligetur quaestio iterum haec esse videtur: exploranda sunt ipsa verba et pensitanda utriusque partis argumenta.

„*Hymettos Attica et Isthmos Ephyraea et Taenaros Spartiaca, glebae*[1]) *felices aeternum libris felicioribus conditae, mea vetus prosapia est. Ibi linguam Attidem primis pueritae stipendiis merui, mox in urbe Latia advena studiorum Quiritium indigenam sermonem aerumnabili labore nullo magistro praeeunte aggressus excolui. En ecce praefamur veniam, siquid exotici ac forensis sermonis rudis locutor offendero.*" Verba indicant originem Graecam, neque praeter insolitam dictionem quidquam obscuri habent. Nemo igitur non mirabitur Apuleium hoc loco Graecum se profiteri quem Madaurensem esse credideramus, quumque his verbis opponimus locum illum quam maxime controversum in Lib. XI. 27, qui ita se habet: „.... *nam sibi* (sacerdoti) *visus est quiete proxima, dum magno deo coronas exaptat, et de eius ore quo singulorum facta dictat audisse, mitti sibi Madaurensem sed admodum pauperem ....*" Verba pertinent ad Lucium Isidis sacris initiatum.

Rohde de exordio Metamorphoseon disserens concedit verba illa, quibus de origine et educatione Graeca agitur, si ad literam accipiantur ad Lucium tantum iuvenem Corinthium referri posse neque ad Apuleium. Opinionem vero, Lucium Patrensem inde ab initio loqui ut absurdam iure reicit[2]). Non negandum putat verba illa „*mox ... offendero*", quibus a lectore venia petitur sermonis pravi nec vere Latini, eloqui auctorem Metamorphoseon Latine scrip-

---

1) Non possum credere hoc „glebae felices" alienum esse a Graeco „οὖθαρ ἀρούρης" et „ἐριβῶλαξ."

2) *Mus. Rh.* 40 *p.* 81: „Von der sehr unüberlegten Behauptung dass durch die ganze Vorrede das Wort habe Lucius von Patrae, dessen griechisch geschriebenen Μεταμορφώσεις Apulejus angeblich den Hauptinhalt seines Romans, so auch die einleitenden Sätze entlehnt habe, braucht weiter kein Wort gesagt zu werden."

tarum, nimirum ipsum Apuleium, qui saltem in hac exordii parte cum Lucio permutari noluerit. Disertis verbis dicit „in hac parte" exordii; mox enim, mutato consilio, Apuleio sub Lucii persona se ipsum substituere libuisse; quae igitur narrat de Lucio pertinere ad se ipsum eum voluisse. Fortasse, Rohde pergit, translate de se quoque id accipi voluit; Graeciam enim, ubi tamdiu vixisset et linguae litterarumque scientia imbutus esset, metaphora usus „veterem prosapiam" optime eum dicere potuisse existimat. In annotatione addit: „etwa im Sinne des Isocrateischen *τὸ τῶν Ἑλλήνων ὄνομα οὐκέτι τοῦ γένους ἀλλὰ τῆς διανοίας δοκεῖ εἶναι* u. s. w." Facile autem quivis mihi concedet *τὸ τῶν Ἑλλήνων ὄνομα* longe differre a „veteri prosapia," et multum interesse utrum aliquis homo „Graecus" an „in Attica et in Isthmo vixisse" dicatur. Rohde, qui ipse negare non potuit explicationem quam dederat valde esse ambiguam, rem expedire conatur contendendo Apuleium consulto ancipitem sermonem sibi effinxisse quo lectori fucum faceret; consulto igitur eum verba talia elegisse ne lector in imagine nebulosa et confusa personas dignosceret.

Ad infelicem coniecturam Rohde h. l. recurrit. Ecquis enim credat Apuleium revera tam insolitum tamque perplexum consilium sibi proposuisse? Ut vidimus, ea indicia locorum allata sunt, ex quibus effici certe possit ubi narrator pueritiae annos degerit, et hunc narratorem Lucium esse [1]) ideo non licet negare quod ipsa verba satis ostendunt omne consilium translate loquendi abesse indiciaque allata ad

---

1) ROHDE opinatur: »....die Einleitung, die sich *offenbar nur auf Apuleius* selbst bezieht..."

literam accipienda et ab omni metaphora aliena esse [1]). Quod ad veram originem attinet, abunde adest testimoniorum quibus probatur Apuleium Afrum fuisse. Omnium primum proferimus Apologiae cap. XXIV (ed. Kruegeri): „*De patria mea vero, quod eam sitam Numidiae et Gaetuliae in ipso confinio meis scriptis ostendi scis, quibus memet professus sum, cum Lolliano Avito V. C. praesente publice dissererem, Seminumidam et Semigaetulam: non video, quid mihi sit in ea re pudendum, haud minus quam Cyro maiori quod genere mixto fuit Semimedus ac Semipersa.*" Respondet his verbis opprobrio sibi obiecto propter originem; nonne uno verbo contumeliam depellere potuisset dicendo se Graecum esse? Si revera Apuleius in Graecia „primis pueritiae stipendiis linguam Attidem meruisset," numquid dubitasset adicere: „*ut sim origine Afer, tamen a prima iam pueritia in Graecia moratus hanc* (*quamquam translate*) *veram patriam habeo.*"? Nihil de his dixit; paulo inferius contra „*nec hoc eo dixi quo me patriae meae poeniteret, etsi adhuc Syphacis oppidum essemus.*" Nemini his cognitis difficile erit decernere de patria Apulei. Si quis forte etiamnunc dubitat, is inspiciat Florid. 86 (ed. Hildebrand): „*An non multa mihi apud vos adhortamina suppetunt, qui sum vobis nec lare alienus nec pueritia invisitâtus nec magistris peregrinus nec secta incognitus nec voce inauditus nec libris inlectus improbatusve? Ita mihi et patria in concilio Africae id est vestro*

---

1) Unam tantum quam potuit proferre audaciorem coniecturam, nonnisi haesitanter adiecit Rohde et mox ipse damnat (Mus. Rh. 40 p. 82) »Man könnte um ein einheitliches Subject zu gewinnen welches durch die ganze Vorrede spräche auf dem Gedanke verfallen, Apuleius lasse in einer eigenthümlichen Prosopopoiie *sein Buch Stimme gewinnen.* . . . Aber genauerer Betrachtung der Worte des Apuleius würde ein solcher Einfall offenbar nicht Stand halten können, wie Jeder leicht bemerken wird."

et pueritia apud vos et magistri vos." Non potuit hercle simul in Africa et in Graecia pueritiam degere! Denique hic quoque locus adiciendus est, Florid. 91: „*Hanc ego vobis mercedem Carthaginenses ubique gentium dependo pro disciplinis quas in pueritia sum apud vos adeptus. Ubique emin me civitatis vestrae alumnum fero, ubique vos omnimodis laudibus celebro, vestras disciplinas studiosius percolo.*" His cognitis nemo, opinor, dubitabit quin Rohdei opinio sit reicienda.

Quum igitur sit luce clarius neque his verbis significari Apulei originem neque per ullam metaphoram eam indicari, eadem valent de altera huius sententiae parte „*mox in urbe Latia advena studiorum Quiritium indigenam sermonem aerumnabili labore nullo magistro praeeunte aggressus excolui*". Non tamen est mirandum in his verbis commentatores haesisse atque incertos fuisse Lucione ea adiudicarent an Apuleio. Quum enim praecedentia suadeant ut Lucio attribuantur, tamen negare non possumus Apuleium revera Romae moratum esse; quamobrem fuere qui huic ea adiudicarent. Verborum sententia haec est: Lucius dicit se Romam se contulisse ibique linguae Latinae operam dedisse. In his sola vox „excolui" controversiis locum dat, quia incertum est utrum significet *addidici* an *eruditionem perfeci*. Rohde ne sibi non constaret haec quoque verba de Apuleio dicta esse contendit, ita interpretatus quasi iam antea linguae Latinae satis peritus, Romae tandem arti oratorie eleganterque scribendi operam dedisset. Quod si concedimus, statim confunditur temporum ratio ad Apulei vitam pertinens, quam Rohde confecit et ita confecit ut nemo non libenter ei assentiatur. Inde apparet enim eum inter annos 150 et 155 Romae fuisse ibique primum Metamorphosibus compo-

nendis periculum fecisse artis scribendi; neque est cur recte eum statuisse dubitemus. Sed quomodo deinde Apuleius dicere potuit cap. I: „*en ecce praefamur veniam, siquid .... offendero*"? Profecto parum ei profuisse videtur *labor* ille *aerumnabilis*, quo eruditionem absolverat sermonis cuius iam minime imperitus erat, si etiamnunc *rudem locutorem* se profitetur.

Haec verba pertinent aut ad loquendi aut at scribendi facultatem. Rohde autem nos docet Apuleium antequam Romam migraret iam satis peritum fuisse linguae Latinae, quamobrem non potuit dicere se *in loquendo rudem* esse. Contra, si verum est eum Romae strenue operam dedisse ut inchoatam notitiam omnibus numeris absolveret, vix credibile est eum antequam eo pervenisset, periculum *scribendi* fecisse, sed tum demum quum virium sibi conscius esset, et confideret se sermonem perpolitum et excultum in lucem edere posse.

Non dubito quin erroris origo pro parte quaerenda sit in falsa interpretatione verbi „*forensis*"; sermo forensis enim non potest significare sermonem, quo „in foro" utuntur, (Apuleium numquam causarum patronum fuisse infra ostendemus), sed sine dubio „forensis" derivandum est a *foris* (sicut etiam IV, 13 „studio forensi") et h. l. idem est quod „*alienus*" vel „*peregrinus*", quod satis apparet ex voce vicina „exotici", quae artissime cum hac cohaeret. Quae quum ita sint, homo qui sermonis Latini sibi alieni rudem locutorem se profitetur, nihil aliud profitetur nisi hoc, se in illo sermone nondum usu quotidiano esse versatum, (quod non Apuleius, aptissime vero Lucius Corinthius de se profiteri potuit); neque idem homo modo dicere potuit se illius sermonis eruditionem absolvisse. Ergo

„studiorum Quiritium indigenam sermonem .... excolui" nihil aliud significat nisi „linguam Latinam addidici", quod nemo nisi Lucius Corinthius dicere potuit. Hanc opinionem confirmari puto verbis „*aerumnabili labore*" et „*nullo magistro praeeunte*" quae verba, si aliter explicas, omnem vim amittunt. Iam hisce verbis Lucio attributis omnia bene procedunt; Apuleius brevi exordio finito post verba „quis ille paucis accipe" Lucio ipsi partes relinquit originem suam et ceteros casus narrandi, neque quidquam inseruit quod proprie aut translate ad scriptorem pertinere possit.

Ultima prologi verba hanc tantum difficultatem praebent quod inter ea unum est de cuius sensu dubitare liceat. „*Iam haec equidem ipsa vocis immutatio desultoriae scientiae stilo quem accessimus respondit. Fabulam Graecanicam incipimus. Lector intende: laetaberis.*" Horum verborum, quae nimirum cum praecedentibus Lucius Corinthius eloquitur, sententiam ita vulgo viri docti interpretantur ut *vocis immutationem,* i. e. insuetam et imperfectam dictionem, quam narrator supra excusaverit, optime convenire existiment stilo narrationum et fabularum, quales nobis in sequentibus Metamorphosibus offeruntur. Rohde voce „*desultoriae*" significari putat artem transferendi e Graeca lingua in Latinam, Carolus Bürger (Hermes 23, IV) vero prorsus a Rohdeo dissentiens contendit narratorem in prologo rationem suam narrandi ideo desultoriam dixisse quia in sequenti fabula revera de uno subiecto in alterum transsiliret; saepius enim narrationis cursus interrumpitur insertis aliis narratiunculis, quae nihil quidquam neque ad Lucium neque ad Asinum pertinent. Haec addit: „Dieser hin und herspringenden Art der Erzählung, so werden wir erklären müssen, ent-

spricht auch die Aenderung der Sprache, insofern nämlich dadurch die Darstellung zwischen griechischer und lateinischer Färbung hin und her schwankt....."

Longe alia via ab Hildebrando monstratur, qui de hoc loco ita scribit: „totus igitur locus ita capiendus est: eo »quod Graecum sermonem cum Latino transmutavit, stilus »respondet arti magicae. Nam ut in illa homines in alias »figuras transsiliunt et vice versa in suam redeunt, sic ego »quoque ab lingua Latina saepius ad veram mihique in»genitam desilire cogar, ut fiat utriusque linguae commixtio. »*Desultoriae* enim *scientiae* est dativus, *stilo* est ablativus, »quod omnes omnino interpretes adhuc fugerat."

Ex his primum liquet Hildebrandum haec verba ipsi Apuleio ascripsisse, qua in re nos cum eo non consentire, ex illis quae supra diximus, satis apparet; neque negare possum Bürgeri explicationem multo probabiliorem videri; comparatio cum verbo *transsiliendi* et cum arte magica profecto nimis longe quaesita videtur.

Restant postrema praefationis verba: *„fabulam Graecanicam incipimus, lector intende: „laetaberis"*. Primo aspectu vix credas et haec tantas controversias excitasse, quas, ne quid omittamus, breviter perstringere iuvat. Rohdeum qui, ut vidimus, totum prologum Apuleio adscribit, licet concedat eundem, si verba spectes, de Lucio tantum accipi posse, mirum non est et haec verba Apuleio tribuere et contendere eum hoc loco lectores monuisse se materiem Graecam in Latinum sermonem convertisse; vox „fabula Graecanica" igitur, siquid Rohdeo credas, pariter ac „desultoria scientia" vertendi artem significat.

Bürger vero, qui per totum prologum Lucium loqui existimat, haec tantum verba excipit; contendit narrationem

non posse vocari „fabulam Graecanicam" nisi ab ipsius auctore. Quod ut comprobet, similem locum [1]) e Lib. IX affert ubi Lucius in asinum iam transfiguratus aliis casibus enarratis ita pergit: *„fabulam denique bonam prae ceteris suave comptam ad aures vestras adferre decrevi et en occipio."* Quum igitur Bürger ibi nomine „fabulae" narrationem, ab eo qui loquens introducitur confictam, significari sentiat, negat id vocabulum eo loco libri I ab ullo alio usurpatum esse nisi ab auctore Metamorphoseon, qui est Apuleius. Atvero quale hoc scribendi consilium est, et quanta inde oritur confusio, si in medium Lucii sermonem Apuleium irruat?

Ipse quoque Bürger hanc confusionem intellexit, quae quam molesta ei visa sit, ex ipsa quam subiunxit desperata explicatione colligitur: „Daraus folgt nun aber durchaus nicht wie Rohde meinte, dass auch im ganzen vorhergehenden Capitel jener Lucius nicht als Subject betrachtet werden könne, sondern nur das, dass es Apuleius eben nicht so streng genommen, sondern in der Absicht den Character seines Werkes näher zu bezeichnen, und dem Publicum den Mund gehörig wässerig zu machen, *ohne Bedenken* hier einmal die vorher und nachher festgehaltene Rolle des Lucius auf kurze Zeit aufgegeben hat." *Epistolii de Dentifricio* scriptorem multas ineptias effutiisse ultro concedimus, sed si Bürgero fides habenda est, eum infirmissima memoria fuisse, credamus necesse est.

---

1) Bürgeri verba ita se habent: »Man wird leicht die vollständige Uebereinstimmung beider Stellen gewahren; in beiden ist von einer folgenden Erzählung der Ausdruck *fabula* gebraucht, verbunden mit einem Attribut, dort *Graecanica*, hier *suave compta*, das dieselbe deutlich als die freie Erfindung des Sprechenden charakterisirt."

Cum igitur satis sit manifestum in prologo inde a verbis „*quis ille paucis accipe*" semper et ubique Lucium „illum" Corinthium loquentem induci, sublata iam est ambiguitas quae ei videbatur inesse et ad quam tollendam coniecturas audacissimas prolatas esse vidimus. Superest ut de illis locis *ipsius narrationis* disputemus qui iure an iniuria ad Apuleium dicuntur pertinere.

Bürger qui, (Hermes 23. IV) nisi fallor ultimus de hac re disserens, Rohdeum praesertim impugnavit, argumentationem ita concludit: in posteriore fabulae parte et in illis prologi partibus quae ad hanc pertinent, Apuleius suos ipsius casus adhibuit, narrationem vero ita instituit ut pro auctore Lucius quidam Corinthius, qui et reliquam fabulam narrare fingitur, loqueretur nobisque de patria et educatione sua pauca quaedam indicia daret; ea indicia cum reliqua narratione apte concordant, ita pergit Bürger, cum Apulei vero vita partim prorsus non congruunt. Quare prologus ita compositus est ut lectorem in opinionem inducat narratorem non esse alium quam auctorem, Lucium Corinthium dico. Hanc autem rerum expositionem, ut ait, tantum defendere possumus statuendo Apuleium Metamorphoses edidisse sub nomine Lucii aut sine nomine.

Ecce duae explicationes, quae quamquam inter se haud parum discrepant, in hac tamen re cum prioribus conveniunt quod Apuleius dicitur in prologo narrationis de vita sua quaedam memoriae prodidisse. Quod quum non ex veritate affirmari iam demonstratum sit, restat, neque id admodum difficile erit, ut erroris originem investigemus. Quo facto et ipse error facilius intelligetur.

Duo autem sunt loci qui prae aliis in errorem nos inducere possunt: Lib. 1 Cap. II statim post prologum legi-

mus: „*Thessaliam — nam et illic originis maternae nostrae fundamenta a Plutarcho illo inclito ac mox Sexto philosopho nepote eius prodita gloriam nobis faciunt — eam Thessaliam ex negotio petebam.*" Fuere qui contenderent his verbis Apulei cognationem significari, et hoc argumento uterentur quo totum prologum ad Apulei vitam referendum esse demonstrarent. At fac verum esse Apuleium se Plutarchi Chaeronensis cognatum esse significasse, non tamen licet inde efficere, universum prologum cum ipsius fatis cohaerere; sed evincere conabimur inter ipsum et Plutarchum nullum exstitisse sanguinis vinculum. Quo propius ad propositum accedemus; id enim agimus ut demonstremus non solum in prologo sed ne in reliqua fabula quidem quidquam contineri, quod ad vitae Apulei rationes illustrandas aliquid conferat.

Alter locus quem volo est Lib. XI, 27: „*nam sibi* (sacerdoti) *visus est .... mitti sibi Madaurensem sed admodum pauperem.*" Ut iam monui, hoc praesertim quaeritur, quomodo narrator fabulae Lucius, adhuc Corinthium se professus, iam Madaurensem se praedicet, qua patriae significatione nemo alius nisi Apuleius designari possit.

Primum videamus de superiore loco (lib. I, 2); Rohde, qui olim Oudendorpium secutus (in libello supra citato) verba a sciolo quodam fraudulento profecta esse existimaverat, postea (Mus. Rh.) sententiam suam ita mutavit ut concederet Apuleium ea scribere potuisse; addit tamen cognationem illam atque omnia quae Lucii necessitudinem tangant ab Apuleio ficta esse.

Quam sententiam ut paulisper omittamus, hoc ante omnia nos offendit quod Plutarchum eiusque nepotem Thessalos esse audimus. Quem nodum ut solvat Hilde-

brand, qui locum tuetur, ita explicat: „litem ita diremerim ut aut errasse in eo Apuleium ponamus, qui Thessalum eum fecerit, id quod in rebus sat cognitis per a liorum »scriptorum exempla indicatur, aut, quod timide pronuntio, »non tam accuratam fuisse eo tempore descriptionem pro»vinciarum ut unam pro altera ponere liceret. Glossema »haec verba non sapiunt. Quomodo enim quaeso fieri »potuit ut sciolus quidam librarius nomine Thessaliae lecto »Plutarchum eiusque nepotem Sextum in memoriam sibi »revocaret, quum nemo Thessalus notus sit qui cum »Boeoto permutari queat. Doctus tantum Apulei librarius, »qui totos Metamorphoseon libros iam antea perlegerat, »loco Met. II, 3 ubi Byrrhaena Lucii propinqua originem »a Plutarcho deducit, commoveri poterat, ut initio iam »Apulei familiam commemoraret."

Temerariam sane quaestionis expediendae viam GOLDBACHER (Zeitschr. f. Oesterr. Gymn. 23 Jahrg. 1872) inivit. Miratur omnes interpretes his verbis perductos existimasse Plutarchum et Sextum ex Thessalia originem duxisse, quum tamen Lucius nihil aliud dixerit nisi cognationem cum Plutarcho viro olim Graeciae procuratore Sextoque philosopho sibi et alibi et in proxima Thessalia famam et honorem praebere; quam rem, pro cognita illius familiae gloria, tam facile intelligi ut nemini admirationis causa esse possit. Hoc uno se commoveri affirmat, quod Lucius eo loco cum illis viris componatur, quos ex historiarum scriptoribus recentiore aetate vixisse novimus. Quod tamen censet consulto a Metamorphoseon scriptore fieri potuisse, ut venustatem quandam fabulae adderet et inde ab initio legentium curiositatem excitaret; tamen idem concedit Apuleium haec in exemplo Graeco invenire potuisse.

Melius profecto Goldbacher fecisset si locum delevisset; nunc enim omnem vim ei ademit. Nam si revera Apuleius ea verba scripsit, sine dubio significationem qualemcumque iis inesse voluit; at si explicationem Goldbacheri probamus, nihil omnino significant. Si enim magnum Plutarchi nomen cognatis ubique laudi est, quid opus est rem tam exigui ponderis, quam Goldbacher ex verbis laudatis elicit, expresse de Thessalia praedicare? Facile igitur caremus additamento tam inani et insulso. Quare non dubito haec verba in eam sententiam accipere quae adhuc omnibus, Goldbachero excepto, probabatur; ita ut verba se habent tantum significant causam itineris in Thessaliam Lucio fuisse (licet complures habere potuerit): quod ibi cognatos se offensurum sciret, qui sicut et ipse a Plutarcho oriundi fama illustris originis florebant.

Verborum de quibus disputamus vi perspecta, iam consulamus temporum rationes, ut cognoscamus num verba, sive spuria sive sincera sint, de Apuleio scripta esse possint.

Lucius II, 3 dicitur educatus esse a Byrrhaena, quae una cum Salvia (matre Lucii) *„familia Plutarchi prognata"* perhibetur. Iam Salmasius (Proleg. ad Solinum) vidit huic genealogiae vitium inesse et ita scripsit: „In secunda etiam »Milesia Byrrhaena Hypatina ex Thessalico oppido Germana »Salviae dicitur, matris Lucii, quem pro Apuleio habent viri »docti. Sorores autem illae ex Plutarchi familia prognatae per»hibentur. Non igitur filiae Plutarchi, sed nec Sexti fortasse »Plutarchi ex sorore nepotis. Demus fuisse filias. Sub Com»modo ille Sextus vixit: filia eius Salvia Apulei mater. Hoc non »procedit; inde enim sequeretur longa post Commodi tempora »emicuisse Apuleium. Atqui iam Commodo vivente Apulei Mi»lesiae manibus terebantur hominum eruditorum, ut liquet ex

»Epistola [1]) Severi ad Senatum ubi dicit Albinum conse- »nuisse inter Milesias Apulei sui." Quamquam maximam partem Salmasio in hac computatione assentiri debemus, tamen non est negandum virum egregium ob minus accuratam eorum temporum cognitionem, veritatem coniecisse potius quam explicavisse. Quum in computatione sua usus sit Suidae testimonio, satius erit inspicere quae ille offert s. v. *Σέξτος*: *„Σέξτος Χαιρωνεύς, ἀδελφιδοῦς Πλουτάρχου, γεγονὼς κατὰ Μάρκον Ἀντωνῖνον τὸν Καίσαρα, φιλόσοφος, μαθητὴς Ἡροδότου τοῦ Φιλαδελφαίου. ἦν δὲ τῆς Πυρρωνείου ἀγωγῆς, καὶ τοσοῦτον πρὸς τιμῆς τῷ βασιλεῖ ἦν, ὥστε καὶ συνδικάζειν αὐτῷ. . . . . — ὅτι μετὰ θάνατον Κομόδου ἐτόλμησέ τις Σέξτος τε εἶναι φῆσαι, καὶ πρὸς ἀνάληψιν τοῦ τε πλούτου καὶ ἀξιώματος ὁρμῆσαι, καὶ πολλά γε ὑπὸ πολλῶν ἀνακριθεὶς ἐκομψεύσατο. ὡς μέντοι καὶ τῶν Ἑλληνικῶν τι αὐτὸν ὁ Περτίναξ, ὧν ἐκεῖνος διεπεφύκει, ἀνήρετο, πλεῖστον ἐσφάλη, μηδὲ συνεῖναι τὸ λεγόμενον δυνηθείς. Οὕτω που τὸ μὲν εἶδος ἐκ φύσεως καὶ τἆλλα ἐξ ἐπιτηδεύσεως αὐτῷ ἐῴκει. τῆς δὲ δὴ παιδείας αὐτῷ οὐ μετεσχήκει."*

Deinde s. v. *Μάρκος* legimus:

Μάρκος, ὁ καὶ Ἀντωνῖνος . . . . ὕστερον δὲ διήκουσε Σέξτου, ἐκ Βοιωτίας φιλοσόφου, ἐπ' αὐτῆς Ῥώμης θαμίζων αὐτῷ καὶ φοιτῶν ἐπὶ θύρας . . . ."

Priore loco Suidas nos docet Sextum vixisse [2]) sub Marco

---

1) Epistola Severi exstat apud *Jul. Capit. in vita Clodii Albini cap.* 12 et verba sunt: »Maior fuit dolor quod illum pro literato laudandum plerique duxistis quum ille naeniis quibusdam anilibus occupatus inter Milesias Apulei sui et ludicra literaria consenesceret."

2) Verbum *γεγονώς* nihil aliud significare quam: *vivens*, vix est quod moneamus.

Aurelio, illumque imperatorem discipulum habuisse, quod etiam altero loco confirmatur; post mortem deinde Commodi hominem quendam Sexti partes egisse, non diu tamen fraudis suae fructus percepisse. Quod attinet ad annum natalem Sexti, oportet facile fieri potuisse ut eo anno quo Commodus mortuus est (192) viveret; si enim centum annos abhinc natus esset, nemo certe ausus esset tunc *φῆσαι Σέξτος εἶναι*, quare statuere licet Sextum anno 192, quo Commodus occisus est, aut vixisse aut vivere potuisse. Deinde et si concedimus Salviam et Byrrhaenam fuisse filias Sexti (forte etiam longius ab eo distant), sequiter sorores illas certe non ante 120 natas esse. Temporum igitur intervalla si quam brevissima computamus, colligimus Salviam post (certo multo post) annum 120 natam esse.

Quod optime quoque componitur cum paucis illis quae de tempore quo Plutarchus vixerit ad nos pervenerunt; Suidas habet: *„Πλούταρχος Χαιρωνεὺς τῆς Βοιωτίας, γεγονὼς ἐπὶ τῶν Τραιανοῦ τοῦ Καίσαρος χρόνων καὶ ἔτι πρόσθεν. μεταδοὺς δὲ αὐτῷ Τραιανὸς τῆς τῶν ὑπάτων ἀξίας προσέταξεν μηδένα τῶν κατὰ τὴν Ἰλλυρίδα ἀρχόντων παρὲξ τῆς αυτοῦ γνώμης τι διαπράττεσθαι."* Et quod maioris momenti est, apud ipsum Plutarchum legimus (de *ει* ap. Delph. cap. I, p. 385 b): *ὡς δὲ καθίσας παρὰ τὸν νεὼν τὰ μὲν αὐτὸς ἠρξάμην ζητεῖν, τὰ δ' ἐκείνους ἐρωτᾶν, ὑπὸ τοῦ τόπου καὶ τῶν λόγων αὐτῶν, ἅ πάλαι ποτὲ καθ' ὅν καιρὸν ἐπεδήμει Νέρων, ἠκούσαμεν Ἀμμωνίου καὶ τινῶν ἄλλων διεξιόντων, ἐνταῦθα τῆς αυτῆς ἀπορίας ὁμοιως ἐμπεσούσης...."* Unde apparet Plutarchum iuvenem (dicit enim *πάλαι*) fuisse quo tempore Nero in Graecia degeret (66—68); nihil igitur obstat quominus cum Zellero (Grundrisz pag.

259) statuamus eum 48 natum esse. Nepos ille Sextus fuit eius sororis nepos, ἀδελφιδοῦς, qui optime igitur natus esse potest post annum 100 ut supra diximus.

Cum hisce iam ea componamus, quae de Apulei anno natali novimus. In egregia et aecurata disputatione quam de illa quaestione conscripsit, Rohde primis argumentis comprobavit Apuleium anno p. Chr. 124 natum esse. Cui commentationi cur fidem negemus non est. Quare si nobiscum reputemus Salviam illam, de qua in Metam. libris sermo est, post annum 120 natam esse, haud facile quis hanc Apulei matrem fuisse existimet.

Ex his illud primum efficere mihi videor, verbis illis c. 2, de quibus omnis haec disputatio est, nullam Apulei cum Plutarcho cognationem significari, neque omnino ullum inter ipsos sanguinis vinculum intercessisse.

Iam videamus num verba illa suspecta ultra nobis servanda sint; de se ipso Apuleius ea scribere non potuit, neque magis ea mutuari potuit ab auctore quem secutus est, sive is Lucianus fuit sive Lucius Patrensis; inania igitur sunt et ex oratione delenda.

Quibus igitur expulsis sententiam multo planiorem factam esse cernimus; iam satis superque causa itineris Lucii significatur verbis „*ex negotio*", ita ut altera ratio quae verbis „*nam et illic . . .*" affertur non solum abundet sed etiam alteram infirmare videatur. Quid, quod ridicule inserta dicenda sunt, inspectis verbis quae II, 3 leguntur. Ibi enim Byrrhaena, germana Lucii matris soror, nepoti suo aperit quam arta necessitudo inter ipsos intercedat: „*Ego te o Luci meis istis manibus educavi, quidni parentis tuae non modo sanguinis verum alimoniarum etiam socia. nam et familia Plutarchi ambae prognatae sumus et eandem nu-*

tricem simul bibimus et in nexu germanitatis una coaluimus nec aliud nos quam dignitas discernit, quod illa clarissimas, ego privatas nuptias fecerimus. ego sum Byrrhaena illa, cuius forte sepicule nomen inter tuos educatores frequentatum retines. accede itaque hospitium fiducia, immo vero iam tuum proprium Larem." Non immerito quis miretur hanc cognationem Lucium omnino latuisse; iam paulo superius II. 2. vidimus Byrrhaenae maritum eum in Foro agnovisse: *„est" inquit „Hercules, Lucius et offert osculum et statim incertum quidnam in aurem mulieris obgannit „quin" inquit „etiam ipse parentem tuam accedis et salutas?"* Et Lucius respondet: *„Vereor" inquam „ignotae mihi feminae" et statim rubore suffusus reiecto capite restiti.* Atqui in exordio data opera et nominatim hanc affinitatem significaverat! Idem ille Lucius, qui originem a Plutarcho et famam inde sibi provenientem causam itineris praedicaverat, non satis mirari potest se in Thessalia matris genuinam sororem offendere. Nemo sane expectaverit quod responsum dedit invitationi supra laudatae: *Ad haec ego iam sermonis ipsius mora rubore digesto „absit" inquam „parens, ut Milonem hospitem sine ulla querela deseram, sed plane quod officiis integris potest effici curabo sedulo. quotiens itineris huius ratio nascetur numquam erit ut non apud te devertar."* Tantum qui hanc sanguinis cognationem prorsus ignorabat, ita loqui poterat ut narrator huius fabulae.

Ex hisce optimo iure colligere mihi videor inania illa verba de Lucii cum Plutarcho affinitate reliquae narrationi ita repugnare, ut merito suppositicia esse videantur; quomodo in contextum irrepserint mox patebit. Causa vitii latet in lib. XI.

Lib. XI, 27 Lucius *Madaurensem* se praedicat; vix opus

est monere eam vocem hoc loco ferri non posse, quare fere unanimo consensu ex oratione amovendam censuerunt interpretes. Rohde eam tuetur, quem Bürger (Hermes 23, IV) sequitur; argumenta eorum paucis expendamus.

Rohde qui, ut vidimus, haesitans per totum prologum Apuleium significari contendit, quique discrepantias quae inde nascuntur ita explicare conatur ut eas consulto ab auctore excogitatas contendat, hoc quoque loco simile consilium ei tribuit. Mus. Rh. 40 pag. 77 dicit: „Man sollte auch glauben, deutlicher habe Apuleius, den doch die nun einmal beabsichtigte Verknüpfung dieser Geschichten mit den vorangeschickten Abenteuern des Lucius von Korinth ein gewisses Versteckspielen mit seiner eigenen Person festzuhalten zwang, von wem er nunmehr eigentlich rede, nicht ausdrücken können, als er lib. XI, 27 thut, wo er den Helden dieser letzten Ereignisse höchst unbefangen *Madaurensem* nennen lässt." Sed iam rogare velim, num veri simile videatur Apuleium, quem in omnibus quae praecedunt sua fata cum Lucii casibus ita commiscuisse fingunt, ut ad nostram aetatem nemo diiudicare potuerit utrum de se ipso an de Lucio loqueretur, hoc loco tam aperte in lucem prodiisse ut totum illud abscondendi consilium hoc uno verbo irritum fieret omnemque vim perderet? [1]) Cum iam viderimus eum in prologo quoque a consilio illo incredibili longe afuisse, quaeramus quid Rohdeum perduxerit ut ita censeret.

---

1) Ecce argumentatio profecto parum firma: „Apuleius .... mochte denken seine Leser würden auch Humor genug haben, um es nicht zu schwer und kritisch auf zu fassen wenn nun zu guterletzt *aus der zerfliessenden Schattengestalt* des Lucius von Corinth die leibhaftige Person des Apuleius von Madaura hervorträte." Sane his cognitis crediderit quispiam Madaurensem nostrum non iniuria magiae accusatum esse.

Occurrunt in libro XI nonnulla dicta quae plane concordare videntur cum iis quae de Apuleio nobis nota sunt, quo factum est ut et in hoc libro putarent scriptorem de sua vita quaedam enarrare voluisse; penitus vero rem inspicientibus apparet ea quae et alibi ab Apuleio confirmantur accurate discernenda esse a reliquis, quae ad Apuleium prorsus non pertinent sed solum Lucium spectant; illuc vero ea tantum referenda sunt quae de Apulei initiamentis in mysteria narrantur. Quas res Rohde non distinxit sed nullo discrimine habito totam posteriorem narrationis partem tamquam de Apuleio dictam accipit. Quod ut exemplo confirmem, contendit ad Apuleium solum pertinere verba quae legimus XI, 30 „*studiorum meorum laboriosa doctrina*" et „*studiorum gloria;*" at rogo, cur non Lucius iuvenis nobili genere ortus, ut legimus III, 11 [1]) pariter literis et doctrinae studiis deditus esse poterat?

In eodem lib. XI (pag. 221 et 223 ed. Eyssenh.) agitur de paupertate Lucii (pag. 221 „.... tenuis patrimonio" et pag. 223 „.... viriculis patrimonii") et ut Rohde opinatur: „was von der paupertas des Erzählenden berichtet wird, steht in ebenso vollständigem Widerspruch zu den Verhältnissen des Lucius von Korinth, von dessen Herkunft aus vornehmem und reichem Hause mit grossem Nachdruck geredet worden ist (lib. II, 3 und III, 11) als es auf Apuleius vortrefflich passt." Fateor equidem Lucium dici nobili loco et gente clarissima ortum (de divitiis autem ipsius nil additur), sed et Apuleius affirmat sibi fuisse „*patrem loco principis duumviralem cunctis honoribus*

1) Lib. III, 11: „neque tuae dignitatis vel etiam prosapiae tuorum ignari sumus, Luci domine. Nam et provinciam totam inclitae vestrae familiae nobilitas complectitur."

perfunctum" (Apol. pag. 33 ed. Krueger); deinde Apol. p. 31 „*profiteor*" inquit „*mihi ac fratri meo relictum a patre HS vicies paulo secus.*" Quae vero in ipso libro XI Metam. legimus: „.... *nam et viriculas patrimonii peregrinationis adtriverant impensae*", illis Apulei paupertatem aperte significari contendit Rohde; quam sententiam ut nobis comprobet, affirmat prorsus idem ab eo dictum esse in Apologia (pag. 31), unde haec citat: „.... *idque longa peregrinatione modice imminutum* ...." Sane verba illa, si ea quae in vicinia leguntur negligas, eadem significare videntur; sin integrum ambitum sententiae spectes, longe aliud Apuleius testatur. Haec enim scribit: „profiteor mihi ac fratri meo relictum a patre HS. vicies paulo secus, idque longa peregrinatione et diutinis studiis et crebris liberalitatibus modice imminutum; nam et amicorum plerisque opem tuli et magistris plurimis gratiam retuli, quorundam etiam filias dote auxi; neque dubitassem equidem *vel universum patrimonium* impendere ...." Vix opus est monitu hosce locos inter se nequaquam esse connexos; Apuleius in Apologia dicere potuit patrimonium suum imminutum esse, neque ideo se pauperem esse affirmat; non parvi sane momenti sunt quas imminutae rei familiaris causas enumerat. Profecto mira esset eius *paupertas*, qui tam liberalem se praebere posset. Sed, et in hoc omnia sunt, perquam incredibile est eundem Apuleium hoc loco dixisse: „non dubitassem *universum patrimonium* impendere", qui in Metamorphoseon libris loquatur de *viriculis patrimonii.* Non est dubium quin statuere liceat locis, ubi de narratoris paupertate in Metam. libris sermo est, neminem nisi Lucium significari.

Contrarium plane sentit Rohde; neque eum igitur hoc

magnopere offendit quod Lucius ille „Madaurensem" se esse dicit. Quod postquam eo modo quo supra diximus explicare conatus est, ita prosequitur: „Apuleius also, das »lehrt besonders deutlich jenes kecke *Madaurensem*, legte »Werth darauf, dass man nicht verkenne, wie der durch »besondere Göttergnade zu der Fülle der Heilserfahrungen, »von denen der Schluss seines Werkes berichtet, zugelassene, »nicht jener nunmehr völlig abgethane Lucius sei, sondern »Er selbst." Atvero ex iis quae adhuc disserui satis liquere existimo omnia illa quae ex Metamorphoseon libris ad Apulei vitam accuratius investigandam viri docti afferre solent, fide omnino carere.

Ad ea quae supra demonstravimus optime quadrant loci in Apologia ubi de Apulei re familiari mentio iniecta est, sicut p. 103, ubi se dicit: „fortuna non poenitendum". Restant contra in Metam. libris duo loci quos, licet nihil vetet quominus ad Apuleium spectare existimemus, tamen nequaquam necessarium sit ad ipsius vitam referre; pag. 223 (ed. Eyssenh.) legimus: „.... nec minus etiam victum uberiorem subministrabant, quidni, spiritu faventis Eventus *quaesticulo forensi* nutrito patrocinia sermonis Romani..." etc. et pag. 225: „..... *iam stipendiis forensibus* bellule fotum." Sunt qui inde effecerint Apuleium causidicum fuisse, ad quam tamen coniecturam confirmandam nulla alia argumenta adsunt; notae enim sunt duae tantum causae privatae quas egit, quarum una est Apologia („Pro se de Magia") altera „pro uxore Pudentilla" cuius mentionem facit in Apologia (3, 11) his verbis: „nam ut meministi, dies abhinc quintus an sextus est cum me causam pro uxore Pudentilla adversus Granios agere aggressum... incessere maledictis." Nusquam aliae causae ab Apuleio

dictae narrantur, quare quamquam affirmare non licet plures ab eo non esse actas, tamen neque licet ex his tantum duobus testimoniis efficere locos hosce solum Apuleium spectare eumque causidicum fuisse. Ex locis quos Hildebrand complures citat ex Apologia et Floridis nil nisi eius facundia patet; plane assentior Goldbachero inde id tantum posse colligi: Apuleium *rhetorem et sophisten* fuisse.

Denique quaero: si Apuleius in Foro quidquam eloquentia valuisset, nonne ita ut omnes laudes honoresque suos copiose et accurate enarrare amat, ita hanc quoque dicendi facultatem nominatim memoriae prodidisset? Ut iactantia viri cernatur iam sufficient haec: Flor. 9, 37: „*fateor uno chartario calamo me reficere poemata omnigenus, apta virgae, lyrae, socco, cothurno, item satiras ac griphos, item historias varias rerum, nec non orationes laudatas disertis nec non dialogos laudatos philosophis, atque haec et alia eiusdem modi tam graece quam latine .... simili stilo.*" Ibidem 9, 31: „*plura mea extant in Camenis quam Hippiae in opificiis opera.*" Ibidem 20, 98: „*canit Empedocles carmina, Plato dialogos, Socrates hymnos, Epicharmus modos, Xenophon historias, Xenophanes satiras: Apuleius vester haec omnia novemque Musas pari studio colit.*" Satis ut opinor ex his apparet non eum fuisse Apuleium qui facile absconderet quo gloriari posset.

Postremo, ut promisimus, expendamus Bürgeri opinionem, qui contendit unicam viam perturbationis, e voce „Madaurensem" ortam, expediendae hanc esse: Apuleium aut sine nomine aut sub alieno nomine Metamorphoseon libros edidisse. Atque ita sentit quia in libris manu scriptis Metamorphoseon ubique subscriptio nominis desideratur,

sed in II libris Apologiae et IV Floridum adest. Verbum „Madaurensem" non facile explicari et ipse fatetur, inde tamen, quod nemo expectaret, coniecturae suae argumentum petit. Verba eius sunt: „kam .... die schrift pseu- »donym heraus, so ist es leicht erklärlich dass dem Apuleius »viel daran liegen konnte, durch eine derartige sofort in »die Auge fallende Andeutung seine Freunde über den »wahren Verfasser des neuen Romans aufzuklären."

Liceat hoc loco ingenue fateri, numquam me talem „anonyme" scribendi rationem vel potuisse suspicari. Quis enim scriptor, qui librum, ne auctor ipse putaretur, sine nomine edidit, sub libri finem, gloriae studio abreptus, se librum conscripsisse aperte proclamat?

Neque subscriptionis defectum huic opinioni magno opere favere existimo. Quis enim contendat ea quae nunc in libris desiderantur, neque in vetustis exemplaribus exstitisse [1])?

Neque hoc loco Goldbacheri opinionem reticere fas est, qui, cum recte sentiret nihil ex lib. XI Metam. posse colligi quod ad Apulei vitam spectaret, et verbum „Madaurensem" reliquae narrationi plane repugnare, loco corrupto singulare sane remedium adhibuit. Contendit enim pro „Madaurensem" scribendum esse: „*mane Doriensem*", propterea quod in codicibus manu scriptis reperiatur „Maudorensem" et „Mandorensem". Quam coniecturam multis probatum iri vix existimo.

Quae cum ita sint, facile intelligimus vocem „Madaurensem" orationem ita perturbare, ut apta loci illius expli-

---

1) In editione Kruegeri Apologiae legimus: „in codice *F* Apologiae *subscriptio* deest"; *inscriptio* a Teuffelio citatur.

catio adhuc inventa non sit. Quare statuendum videtur vitium [1]) in orationem irrepsisse, quod, quale sit etsi accurate definire non possumus, originem tamen erroris [2]) investigare non difficile esse puto. Ex eodem errore comperiemus et hoc loco et in cap. 2 lib. I (vid. pag. 44, 45) confusionem natam esse. Viam monstrabunt illi loci quorum fides testimoniis, ab ipso Apuleio extra Metamorphoseon libros datis, probatur.

Etenim in fine Libri XI de Isidis cultu tam copiose et accurate disseritur, ut vel hoc solum satis superque significet Apuleium haec, vulgo fere incognita, non nisi sapientia usuque describere potuisse. Quae quidem coniectura firmatur iis, quae Apol. 55, 9 Apuleius de se ipso narrat: „*Sacrorum pleraque initia in Graecia participavi. Eorum quaedam signa et monumenta tradita mihi a sacerdotibus sedulo conservo.*" ibid. 55, 13: „*At ego, ut dixi, multiiuga sacra et plurimos ritus et varias cerimonias studio veri et officio erga deos didici.*" Sane non est cur tam apertis verbis fidem denegemus; illud vero prae oculis omnino habeamus oportet: praeter haec quae de Isidis mysteriis narrantur, unam tantum rem, cuius in Metamorphoseon libro XI mentio occurrat, cum illis quae Apuleius alibi sibi accidisse narrat apte cohaerere. Romae enim se per aliquod tempus commoratum esse et in Metam. libro XI et

---

1) Insolitus quoque verborum ordo nos offendat oportet: „Madaurensem .... *sed* admodum pauperem". Quis credat praeter hunc unum nullum fuisse pauperem inter Madaurenses! Quod tamen ex verbis quae attulimus iure quis colligat.

2) Quamquam Oudendorp remedium afferre non potuit, tamen vitium adesse is quoque sensit; annotavit h. l.: „Turpiter hic sui oblitus est Apuleius, qui toto opere se finxit esse Graecum ab inclito Plutarcho oriundum. Haec sane non conveniunt."

in Floridis testatur. Metam. XI, 26 legimus: „*nave conscensa Romam versus profectionem dirigo, et .... sacrosanctam istam civitatem accedo;*" cum his bene consonant ea quae narrat Flor. p. 77 (ed. Oudend.): „*ad hoc ita semper ab ineunte aevo bonas artes sedulo colui eamque existimationem morum ac studiorum tum in provincia vestra cum etiam Romae penes amicos tuos quaesisse me, tute ipse locupletissimus testis es.*"

Quum igitur constet haec quae in L. XI legimus illis comprobari quae aliunde de Apulei vita comperta habemus, facile intelligitur qui factum sit ut multi putarint et alia quae in eodem libro occurrunt ad Apulei vitam esse referenda. Neque coniectura audax est hanc fuisse causam propter quam loco nostro vitiato, ubi nunc „Madaurensem" legimus, indicium desiderari opinati sint, et pro genuino et sincero vocabulo, nescio quo, scriptoris patriam inseruerint, quod verbum reliqua oratione postulari videbatur.

Hic igitur primus error est ad quem Lib. XI ansam dedit; deinde etiam lib. I fontem esse putarunt unde indicia de Apulei fatis hauriri possent. Quia primaria fabulae persona in Thessalia (lib. II) parentem quendam Plutarcho nomine offendit, primum arbitrati sunt Chaeronensem philosophum significari; deinde in lib. I, ubi Thessalia itineris exitus praedicatur, emblema inseruerunt quod eam cognationem significabat. Ii qui sibi persuasum habebant Apuleium locis supra laudatis in lib. XI lectores de suis ipsius fatis certiores fecisse, ultro et in lib. I scriptori simile consilium attribuerunt.

Fabula a Lucio Patrensi excogitata duorum operum exemplar exstitit; quorum alterum sub Luciani nomine circumfertur alterum ab Apuleio conscriptum est. Qui scriptores non uno in libris suis consilio usi sunt. Alter, cui lepida tantum narratio arrideret, hanc solam et involucris suis quasi solutam a Lucio Patrensi mutuatus est, atque in compendium redegit quod hodie *Λούκιος ἢ Ὄνος* inscribitur. Apuleio non minus quam Lucio placebant sacra mystica, quare nil ex illius opere omisit, sed paucis verbis praemissis integram narrationem ex Graeco in Latinum sermonem vertit, tum nonnulla de suo addidit.

Ex hac ingeniorum diversitate factum est ut brevior illa *Luciani narratio, quae iocosam et hilarem fabulae partem complectitur, huius naturam et indolem satis accurate referret, a qua Apulei libros longe discrepare apud omnes eruditos in comperto est. Quare non est quod miremur hanc narrationem graviorem, illam potius iocosam legentibus visam esse. Neque ipsum Photium id fugit, qui tamen quod acute perspexerat, non recte explicavit.

Inter ea quae Apuleius Lucii narrationi addidit prae ceteris numeranda est notissima illa de „Amore et Psyche" fabula nec non ultima lib. XI pars, quae scriptori imprimis ansam praebuit sacra Isidis effuse laudandi, de quibus, ut re expertus, quam copiosissime disserere potuit.

THESES.

THESES.

I.

Lysias Or. III, 6:

„ . . . . *ἐκκόψας τὰς θύρας εἰσῆλθεν εἰς τὴν γυναικωνῖτιν, ἔνδον οὐσῶν τῆς τ' ἀδελφῆς τῆς ἐμῆς καὶ τῶν ἀδελφιδῶν, αἳ οὕτω κοσμίως βεβιώκασιν ὥστε καὶ ὑπὸ τῶν οἰκείων ὁρώμεναι αἰσχύνεσθαι.*"

Pro *οἰκείων* restituendum puto *οἰκετῶν*.

II.

Xen. Anab. I. 4. 14.

„*Ἄνδρες, ἐάν μοι πίθησθε, οὔτε κινδυνεύσαντες οὔτε πονήσαντες τῶν ἄλλων [πλέον] προτιμήσεσθε στρατιωτῶν ὑπὸ Κύρου.*"

Servari potest vocabulum *πλέον*.

III.

Ibid. I. 9, 11:

„*Καὶ εὐχὴν δέ τινες αὐτοῦ ἐξέφερον ὡς εὔχοιτο τοσοῦτον χρόνον ζῆν ἔστε νικῴη καὶ τοὺς εὖ καὶ τοὺς κακῶς ποιοῦντας ἀλεξόμενος.*"

Eiciendum est emblema *ἀλεξόμενος*.

IV.

Vocabulum *σῆκος* in Lysiae Or. VII non est interpretandum „*olea sacrata*" sed „*saeptum sacrum.*"

V.

Soph. Philoct. 29:

τόδ' ἐξύπερθε· καὶ στίβου γ' ουδεὶς κτύπος

Corrigendum: *κ. σ. γ' εἴσω τύπος.*

VI.

Ibid. 54:

τὴν Φιλοκτήτου σε δεῖ
ψυχὴν ὅπως λόγοισιν ἐκκλέψεις λέγων.
ὅταν σ' ἐρωτᾷ, τίς τε καὶ πόθεν πάρει,
λέγειν, 'Αχιλλέως παῖς·

Melius ita legitur:

τὴν Φιλοκτήτου σε δεῖ
ψυχὴν ὅπως λόγοισιν ἐκκλέψεις λέγων,
ὅταν σ' ἐρωτᾷ, τίς τε καὶ πόθεν πάρει,
λέγειν, 'Αχιλλέως παῖς·

VII.

Ibid. 1009:

ἀνάξιον μὲν σοῦ, κατάξιον δ' ἐμοῦ

Legendum: *ἀνήκοον μ. σ., κατήκοον* ....

VIII.

Plutarch. Cimon cap. I (in fine):

ἐπὶ πολὺν δὲ χρόνον εἰδώλων τινῶν ἐν τῷ τόπῳ προ-

φαινομένων καὶ στεναγμῶν ἐξακουομένων, ὡς οἱ πατέρες ἡμῶν λέγουσι, τὰς θύρας ἀνῳκοδόμησαν τοῦ πυριατηρίου·

Pro *ἀνῳκοδόμησαν* legas *ἀπῳκοδόμησαν.*

IX.

Iniuria contenderunt nonnulli Apuleium in Metamorphoseon Libris quaedam de sua ipsius vita tradidisse.

X.

Apul. Metam. I. 2.

„Thessaliam [— nam et illic originis maternae nostrae fundamento a Plutarcho illo inclito ac mox Sexto philosopho nepote eius prodita gloriam nobis faciunt —] eam Thessaliam ex negotio petebam."

Emblema uncinis inclusum eiciendum est.

XI.

Horat. Carm. IV, 4, 15:

Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta fulvae matris ab ubere
Iam lacte depulsum leonem
Dente nova peritura vidit:

Pro: *iam lacte depulsum* corrigas *lactante d.*

XII.

Lucan. Pharsal. IV. 413:

„. . . . spoliabat gramine campum
„*Miles*, et attonso miseris iam dentibus arvo
„Castrorum siccas de cespite vulserat herbas."

Leg. *Mulus.*

XIII.

Ibid. VII. 256:

Haec est illa dies, mihi quam Rubiconis ad undas
Promissam memini, cuius spe movimus arma,
In quam distulimus *vetitos remeare triumphos.*

Leg. *vetito* remeare *triumpho.*

XIV.

Ibid. 331:

Vix cuncta locuto
Caesare, quemque suum munus trahit armaque raptim
Sumpta virisque Ceres. —

Leg. *Sumpta viri celeres.*

XV.

Livius, I, 59 (in fine):

„His atrocioribusque credo aliis, quae praesens rerum indignitas haudquaqam relatu scriptoribus *facilia* subicit, memoratis insensam multitudinem perpulit, ut imperium regi abrogaret...."

Pro *facilia* leg. *facilis.*

XVI.

Minus recte Georges (Lat.-Deutsch. Wörterb.) *flere* apud Suet. Caes. 81 vertit: *laut aufwieheren.*

XVII.

In explicando cognomine *Asinae* Cn. Cornelio Scipioni dato verum vidisse suspicor Ed. Wölfflinum (Archiv f. Lat. Lexicogr. Jahrg. VII Heft 1 und 2).

XVIII.

Ovid. Metam. IV. 60:

„tempore crevit amor, *taedae* quoque iure coissent,"

taedae non nominativus est sed genitivus.

XIX.

Ibid. I, 351:

„o *soror*, o coniunx, o femina sola superstes,"

soror non translate dicitur sed nihil aliud est nisi *soror patruelis*.

XX.

Iniuria in Antibarbaro (ed. Krebs-Schmalz[6]) i. v. *veritas* dicitur: „*Veritas ist die Wahrheit, aber immer nur in abstracto als gedachte Wirklichkeit.*"



